



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Liber Secundus Decretalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

LIBER SECUNDUS  
DECRETALIUM.  
TITULUS I.  
DE IUDICIIS.

S E C T I O I.

*De Iudiciis in Genere, & Personis,  
qua stare possunt in iudicio.*

§. I.

*Quid, & Quotuplex sit Iudicium?*

**I**udicium est legitima rei controversiæ apud Iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, & dijudicatio, litis finiendæ gratiâ: ad quod tres, principales personæ ordinariè requiruntur, Iudex. Actor, & Reus *Cap. Forus 10. §. In omni de P. S.* Iudex est persona, quæ publicâ auctoritate iudicio præest, ab eo, quod jus dicat, sive rem controversam secundum juris præscriptum definiat, Iudex appellatus. Iuxta *cit. Cap. Forus.* Actor ab agendo dicitur, estque is, qui actionem proponit, & prior ad iudicium provocat. *L. in tribus 13. & L. qui 29. ff. b. tit.* ac in actionibus criminalibus accusator dicitur, Reus denique est, qui ab Actore provocatur, seu in jus vocatur, ita dicitur non à reatu semper, sed à re, de qua disceptatur, & est controversia, ut apparet ex *cit. Cap. Forus juncta Glossa V. Reus* Sicuti autem Actoris vicem supplere non-

nunquam potest Magistratus, si procedat per formam inquisitionis v. g. ob famam præcedentem, ita Reus de præsentibus non debet semper esse certus. Interveniunt autem plerumque etiam alix personæ in iudicio, quæ tamen minus principales, & accessorie tantum ad principales se habent, quales sunt Assessores, Consiliiarii, Notarii, Advocati Testes &c. Variæ sunt Iudiciorum divisiones. Prima determinatur ex diversitate iudicantium, ita ut illud, cui præest Iudex ecclesiasticus, Iudicium ecclesiasticum dicatur, & cui præest Iudex sæcularis, iudicium sæculare. Illud subdividitur in spirituale & temporale; spirituale est, quando lis de re aliqua spirituali aut spirituali annexa est, de matrimonio v. g. decimis beneficiis &c. Temporale est, quando lis movetur de re temporalis & profana, de fundo v. g. pecunia &c. Inter personas tamen ecclesiasticas,

Secunda divisio desumitur ex diversitate materiæ, juxta quam diversitatem aliud est iudicium petitorium, in quo movetur quæstio de proprietate rei, seu dominio, aut quasi dominio, aut jure, ad quem ea pertineant; Aliud est iudicium possessorium, in quo movetur quæstio de

de possessione rei, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda.

Tertia divisio ex diversa forma, quæ in Iudicio adhibetur, aut juxta quam proceditur, desumitur; & hinc aliud iudicium plenarium, ordinarium, & solemne dicitur, in quo scilicet omnes juris solemnitates ad iudicium spectantes, & de Iure requisitæ, adhibentur, Citatio v.g. Libelli oblatio, Litis contestatio, Juramentum Calumniæ &c. aliud est summarium sive extraordinarium, in quo non tam ad formam juris solemnem, & sæpius accidentaliter tantum ad causam decidendam requisitam, attenditur, quàm ad essentialia & substantialia iudicii, sine strepitu quidem, ac forma solemni iudicii, sed inspectâ solâ rei veritate proceditur.

Quarta denique Divisio (ut omitram alias vel merè Civiles aut aliàs faciles) desumitur ex diversitate Finis, quem iudicium tale intendit; sic dicitur aliud Civile, in quo de causa Civili agitur, mutuo v.g. emptione, aut ex alio contractu civili &c. aliud dicitur Criminale, in quo de delictis agitur, de furto v.g. homicidio, sacrilegio, hæresi &c. & si agitur ad publicam vindictam, ad pœnam corporalem v.g. aut pecuniariam fisco applicandam, dicitur criminale iudicium criminaliter agi; Si verò agatur ad pœnam privato applicandam, sive ad interesse privatum, dicitur criminale iudicium civiliter tractari; ita tamen, ut quod participat de utroque, mixtum iudicium dicatur, quin imò sæpius duplex actio pœnalis injuriam passo competit, Civilis una, quæ tendit ad pœnam Actoris applicandam; altera criminalis, quæ tendit ad publicam vindictam, ac optio datur injuriam passo,

quam velit actionem instituire, ita tamen ut unâ earum electâ, altera ipso jure tollatur (cum utraque pœnalis sit) nisi sit re tantum persecutoria, quæ per nullam actionem merè pœnalem tollitur.

## §. II.

*Quinam in Iudicio agere, vel conveniri possint, vel non possint?*

Ut personam legitimam standi in Iudicio habent, ij agere, & conveniri possunt, in genere loquendo. In specie verò primò certum est, quòd pupillus sine Tutoris auctoritate nec agere, nec conveniri in iudicio possit. Secundò certum est de jure communi, quòd minor 25. annis legitimam personam standi in iudicio non habeat, nisi ei Curator, saltem ad litem, datus sit (ob iudicium scilicet nondum ad lites, satis maturum) nisi minor talis, qui vicesimum tamen annum jam implevit, veniam ætatis impetraverit, agendi in Iudicio etiam sine Curatore; aut si 14. annum implevit, & agat, vel conveniatur in causis beneficialibus, aut aliis spiritualibus, vel his annexis *Cap. Si annum 3. h. tit. in 6.* (quamvis impuberes neque in his causis sine Tutore agere possint, puberes tamen in hujus modi causis censentur esse majores) aut agat tantum minor 25. annis in possessorio, de recuperanda vel obtinenda possessione *L. fin. junct. Gloss. V. per quemcunque Cod. qui legit. person. standi &c.* De filio familias, quamvis major sit 25. annis, quòd suo nomine & in causa propria, etiam quoad bona adventitia (sive Pater usum fructum in illis habeat, sive non) regulariter & ordinariè in iudicio agere, aut respondere sine assensu parentis nò possit, constat ex *L. ult. Cod.*

*De bonis, qua lib. Sc. & cit. Cap. ult. h. tit. in 6.* (cū in his, omnibus consensus Patris requiratur ad integrandam personam filii) nisi alieno nomine, ut Procurator. v. g. ster in iudicio, vel is sit de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, vel pater longius absit, qui procuratorem non reliquerit; aut inutili patre ad res suas curandas agere velit; vel in præparatoriis tantū iudicii ante litis contestationem versetur, vel causæ sint beneficiale, spirituales, vel his annexæ, in quibus nec jus nec administratio ad patrem pertinet. Mulieres denique saltem honestæ, quod invitæ ad Iudicem trahi personaliter non possint, ex causa quacunque, de iure non expressa, possint verò, si velint, in causis saltem Civilibus, in iudicio per se stare ex *Cap. Mulieres secundo h. tit. in 6.* habetur, nisi sint femine religiosæ, præsertim quæ sub clausura vivunt, quæ, nec vocari, nec admitti debent. De aliis, quibus de iure Civili interdictum est, stare in iudicio, videantur jura Civilia.

## §. III.

*An, & quâ ratione Prælati Ecclesiastici, præsertim Regularis, vel Capitulum seu Conventus, vel Religiosi singuli agere, aut conveniri, in Iudicio possint?*

**P**otest Prælati Ecclesiastici, & Regularis, per se solus, absque consensu aut consilio Capituli, in Iudicio agere, & conveniri, de rebus & juribus communibus Monasterii, & tam ad Prælatum, quàm Capitulum communiter pertinentibus (nisi causa valdè gravis & ardua esset) quia talium bonorum liberam ad-

ministracionem, à lege, sive à jure sibi concessam habet independentem à Capitulo, & quamvis juxta communia jura, qui rem alienare non potest, nec potest eam in iudicium deducere, Prælati autem non possit sæpè talia bona solus alienare, consequenter nec possit pro iis, in iudicium deductis, sine consensu sui Capituli litigare; concedo, in hoc fieri non posse ab eo, qui suo nomine agit in iudicio, nego autem, quòd hoc verum sit de eo, qui alieno nomine agit in iudicio de aliqua, quam solus alienare non potest, sicuti Prælati Ecclesiæ agit in iudicio nomine Ecclesiæ. Hoc tamen, ut sine consensu sui Prælati, pro bonis etiam communibus Monasterii, in iudicio contendere possit Capitulum, aut Conventus Ecclesiæ, sive regularis hæc sit sive secularis, non concedit *cap. Causam 9. h. tit.* ob rationem scilicet priori contrariam, nisi sint causæ propriæ Capituli in bonis ad Capitulum solum spectantibus; vel nisi Capitulum agat pro recuperatione bonorum à Prælati illegitimè alienatorum, vel nisi consuetudo Ecclesiæ illius, aut peculiaria statuta aliud velint. Multo minus conceditur Regularibus singulis cujuscunque sextus sint, ut suo vel alieno nomine, per se, vel per alium ad agendum vel defendendum in iudicio stent, sine consensu & licentia sui Superioris *Cap. cum dilecta 2.2. de rescriptis.* Cū regularis talis non sit sui juris, neque bonorum dominium habeat: & hinc ratiōne contractus cum Religioso initii, non potest conveniri Religiosus, sed debet conveniri Monasterium, & si Religioso facta sit injuria, non potest ipse agere in iudicio, nisi Prælati sit absens, & nullum Pro-

Procuratorem ad talia negotia reliquerit, vel ipse Religiosus ex justa causa, studio- rum v. g. à Monasterio absens, licentiam Prælati sine periculo in mora, nec petere, nec expectare possit. Quòd si tamen ratione beneficii, quod habet cum illius administratione, etiamsi manuale hoc tantum sit, in iudicio contendere debeat, ratione professionis suæ, ratione injustæ ejectionis, ratione alimentorum &c. potest hæc facere, sine alia à Superiore petita, aut obtenta licentia *Cap. Cum deputari 16. h. tit.* non tantum ob regulam universalem, quòd pro iuribus suis stare in iudicio possit, cui administratio competit, sed etiam ob necessariam sui defectionem.

## §. IV.

*Utrum jus agendi in iudicio pro iuribus & rebus Ecclesie inferioris subiectæ Prælati superiori, pertineat ad superiorem, an ad inferiorem Rectorem, vel etiam ad Vicarium perpetuum?*

**P**otest quidem in genere iudicii penes eum esse jus agendi pro suæ Ecclesie rebus, penes quem est administratio, ob allatam sæpius regulam, ita ut penes utrumque sit, tam superiorem quam inferiorem actualis administratio, uterque agere possit, præferendus tamen sit Superior, si hic agere velit, ob maiorem scilicet quam hic habet, auctoritatem *Clement. 1. de rescript.* Quòd si tamen actualis administratio tota sit penes inferiorem (non quidem temporalem tantum sed perpetuum beneficii talis Rectorem aut Vicarium) & penes superiorem tantum in habitu, immediatus administrator,

sive inferior Rector seu Vicarius perpetuus, in causis ad Ecclesiam illam & illius administrationem pertinentibus præferri debet in iudicio, nisi ob negligentiam aut aliud defectum inferioris Rectoris pateretur Ecclesia; quo in casu Superior, qui alias administrationi se immiscere non debet, Ecclesie causam suscipere potest, & debet: & hinc quamvis Episcopus pro iuribus quarumlibet Ecclesiarum Parochialium suæ Diocesis agere possit, velut Pastor pastorum, in causis tamen reddituum, decimarum &c. Parocho competentium vel Vicario perpetuo, Parocho, aut dicto Vicario, potior incumbit agendi in iudicio licentia, cui immediate horum bonorum, administratio competit.

## §. V.

*Utrum excommunicatus possit stare in iudicio?*

**A**gere quidem non potest excommunicatus maiore excommunicatione, sive per se, sive per aliud, sive civiliter, sive criminaliter agere velit (nisi in causa suæ excommunicationis, aut nisi toleratus sit, & nec à iudice, nec à parte repellatur) conveniti tamen potest, ut reus, ne ex malicia sua fructum habeat, & saltem per alium in iudicio velit respondere, *Cap. Intelleximus 7. h. tit. & Cap. Decernimus 8. De sententia excommunicationis. in 6.* Quòd si verò de bono publico Ecclesie ageretur, vel ad animæ periculum devitandum, excommunicato comparandum esset, vel ob reum v. g. fugitivum, periculum esset in mora, vel si ad præmissa sibi facienda impeditetur excommunicatus, posset etiam in iudicio agere,

agere, aut contra actorem etiam excommunicatum excipere, vel compensationem in partem causa objicere, quia in talibus casibus magis videtur, se defendere, quod concessum illi est, quam agere; & quamvis in causis minus arduis cogi possit, ad defendendum se per Procuratorem, prout ex *tit. cap. Intelleximus* colligitur, in arduis tamen causis ad hoc cogi non potest, sed per se causam suam defendere permittitur (ne afflictio nova addatur afflictio, & minus fidelem cum magno suo incommodo habeat sui defensorem) etiam si esset in culpabili mora petendae absolutionis ab excommunicatione, neque tamen ab actore excommunicato in iudicio gesta, qui per oppositam excommunicationis exceptionem non fuit repulsus, irrita sunt, si coram iudice ordinatio, aut legitime impetrato egerit, quamvis enim a iudicio propter excommunicationem & prohibitam communicationem forensis repellatur excommunicatus, nullum tamen jus speciale reperitur, per quod acta illius reddantur irrita, quamdiu contra illum exceptio excommunicationis non probatur.

## §. VI.

*An iudex possit cogere partes ad personaliter comparandum in iudicio, & an in eodem persona principales per se ipsas ea, que facti sunt, proponere debeant?*

**P**artes ordinariè cogi à iudice non possunt, quamvis hic sit à Summo Pontifice delegatus, ut personaliter in iudicio compareant, *Cap. Juris 1. h. tit. in 6.* nisi causa rationabilis aliud jubeat; & hinc compelli possunt ad personaliter

comparandum. Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis. Secundò ad præstandum juramentum de veritate dicenda. Tertio ad juramentum calumnie præstandum. Quarto in aliis etiam casibus, in quibus ipsa principalis status in communi magis perspectum habet, & ubi ex qualitate personæ colligi pro causæ decisione aliquid debet. Et quinto denique si speciale Delegatus à Papa aliquod mandatum habeat, ad partes principales specialiter inquirendas. Factum tamen ipsum ordinariè personæ principales per se ipsas, & non per Advocatos proponere debent (nisi sint personæ valde simplices, & indiscretæ, ut earum defectus à iudice supplendus sit *cap. Postheralis 1. q. h. tit.*) quia meliorem notitiam facti habere censentur principales, quam Advocati, quamvis his non prohibeatur assistere illis in facto tali proponendo, & in expediendis illis, quæ in iure consistunt, in libello scilicet formando, in interrogatoriis & articulis probatoriis.

## §. VII.

*An, qui promittit, se litigaturum coram iudice, si postea non compareat ad litigandum in iudicio, censendus sit, contumaciter abesse, & puniri possit tanquam contumax?*

**S**I quis coram iudice sedente pro tribu-  
li promittat, se cum adversario litigaturum, non potest postea exceptionem fori declinatoriam opponere, & iudicem proprium recusare, etiam si lis contestata nondum fuerit; nisi nova causa superveniat, aut antiqua ignorata manifestetur, argumento, *cap. De quodam de Deo 1. h. tit.*

ex quo capite etiam patet, contumacem hunc talem habendum, & puniri posse pœnâ excommunicationis.

## SECTIO II.

*De causis, quas iudicare potest iudex tum secularis, tum Ecclesiasticus.*

## §. I.

*An iudex secularis tractare, & cognoscere possit causas Ecclesiasticas?*

Causarum Ecclesiasticarum alie sunt merè ac propriè spirituales, quæ propriè spectant ad Prælatorum Ecclesiasticorum regimen, uti sunt causæ beneficiales, decimales, matrimoniales, &c. alie sunt causæ merè temporales, causæ v. g. contractuum, instrumentorû, &c. de illis res talis certa est, quòd Laici causas Ecclesiasticas cognoscere non possint, etiam in casu negligentium Ecclesiasticorum, neq; propriâ auctoritate, neque ex commissione Prælatorum Ecclesiasticorum, exceptâ plenitudine potestatis Principalis, per quam Laico etiam tales causæ committi possunt. Sumitur hoc ex *Cap. Decernimus. 2. h. tit. Cap. Qualiter 17. eodem.* Cùm Laicos potius maneat obsequendi necessitas in ordine ad Ecclesiam, quàm imperandi auctoritas *cap. final. De rebus Ecclesie alienandis.* Et quamvis negotia merè temporalia Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum etiam Laici tractare possint, (si scilicet Ecclesiarum æconomi sede v. g. vacante constituantur) per hoc tamen nulla illis in Clericos præeminentia, gubernatio, aut potestas

conferretur; neque tamen possunt auctoritate propriâ causas judiciales pecuniarias, seu merè civiles, quæ inter personas Ecclesiasticas aut Ecclesias, vel contra tales moventur, cognoscere, & iudicare, uti colligitur ex relato *Cap. 2.* Quamvis hoc facere possint ex commissione seu delegatione Prælati Ecclesiastici, saltem in casu aliquo particulari, cùm talis delegatio non sit contra jus commune, & Laicus in tali casu magis utatur jurisdictione Ecclesiasticâ Delegantis (semper tamen quando Laici jurisdictione negatur in Clericorum causas iudicandas auctoritate propriâ, excipiuntur causæ feudales, quas Dominus feudi, sive Laicus hic sit, sive Ecclesiasticus, iudicare potest, uti habetur in *Cap. Caterum 5. h. tit.*) Causas verò criminales Clericorum, nec propriâ auctoritate tanquam iudex ordinarius, nec ex commissione inferioris Prælati, non obstante quavis contrariâ consuetudine, iudicare potest Laicus (hoc enim cederet in grave opprobrium Cleri) nudum tamen ministerium aliquod circa Clericos v. g. capiendos, aut alias executiones aliquas faciendas, &c. committi etiam Laico potest: prout etiam admitti potest Laicus, ad causas has iudicandas, ut Assessor, Consiliarius, Notarius &c. cùm hæc talia nullam jurisdictionem importent.

## §. II.

*De causis, quas tractare, & cognoscere potest iudex Ecclesiasticus.*

Iudex Ecclesiasticus cuiuscunque dignitatis sit, non potest, quàm talis, directè & ordinariè causas merè Civiles, vel etiam criminales, quæ ad Magistratum

Gg

Laicum

Laicis pertinent. iudicare, ad non confundendas, & perturbandas iurisdictiones, quod sine iniuria fieri non potest. *Cap. Novit. 13. h. tit.* Nisi crimina mixti forent, ubi daretur etiam preventionis locus, aut per viam denuntiationis Evangelicæ procedendum esset, circa peccatum mortale subditi iurisdictioni Ecclesiasticæ, prout sumitur ex *cit. cap. Novit.* Possunt tamen ex commissione Principis secularis causas etiam profanas inter Laicos iudicare *Cap. inter dilectos 6. De fide instrum.* & in casu negligentium Magistratum Civilium, cum iurisdictione etiam circa secularia absolute negata non sit Ecclesiasticis personis, sicuti Laicis negata est iurisdictione circa causas spirituales & personas Ecclesiasticas, &c.

## §. III.

*An aliquis possit esse Iudex, sive Ecclesiasticus, sive secularis, & iudicare in causa propria?*

Quamvis ob plenitudinem potestatis & presumptionem æquitatis supremi Principes in causis propriis, quæ ipsos inter, & eorum subditos moventur, vel de iniuriis sibi illatis Iudices esse possint, *L. Et hoc 41 ff. De hered. Instit. & L. Un. Cod. Si quis imperat. maledix.* prout etiam ex *Cap. Cum venissent 12. h. tit.* colligitur, consultius tamen, & æquitati naturali conformius constituet Princeps talis, in talibus causis, arbitros, aut iudices alios, qui jus dicant, quod etiam hodie passim practicatur. Inferior tamen supremo Principe Iudex esse potest, aut jus sibi dicere, ut habetur in *L. V. Cod. Ne quis in sua causa, &c.* Cum Iudex quasi

media persona ad dirimendam litem inter Actorem & Reum ordinariè esse debet, nisi factum seu iniuria Iudici facta notoria sit, ut vi juris certam poenam statuentis, quoad publicam vindictam, sine alio processu puniri possit nocens, cum in tali casu non tam ut Iudex, quam ut Juris executor procedere censetur; aut nisi Episcopus v. g. in causa ad suam Ecclesiam principaliter spectante iudicet, quo in casu, si non recusetur, validè pronuntiabit; aut nisi Iudex in casu, quo rationabiliter dubitatur, an sua sit iurisdictione cognoscat, ac iudicet suam esse iurisdictionem, cum in tali casu non tam in propriam utilitatem directè iudicet, quod prohibitum est, dum prohibetur, ne quis in sua causa Iudex esse possit, quàm ob bonum commune, ut ordinario suo officio fungi possit; ita tamen, ut si contra talem iudicem excipiat, quod inhabilis v. g. ad iudicandum sit, ad Superiorem recurri debeat, de tali enim exceptione aut reculatione non potest inferior Iudex, cui hæc inhabilitas objicitur, iudicare.

## §. IV.

*An Iudex, qui cognoscit de causa possessionis, semper & necessariò cognoscere, seu iudicare debeat etiam de causa proprietatis?*

Ordinariè & regulariter, si Reus & Actor sint ejusdem fori, coram eodem Iudice causa possessionis & proprietatis tractanda, & terminanda est, prout habetur ex *Cap. fin. h. tit.* & pluribus infra explicabitur in Tit. de Causa possessionis & proprietatis.



## SECTIO III.

De actis Iudicii, modo procedendi, & aliis quibusdam observandis in Iudicio, & quomodo finiatur Iudicium?

## §. I.

An acta Iudicii per Iudicem existimatum, qui verè Iudex non est sine valida?

Qui existit in possessione officii Iudicis, quamvis ob defectum juris, aut tituli veri verus Iudex non sit, si tamen titulum coloratum, seu putativum habeat (eo quòd v. g. potestatem ad actus jurisdictionis exercendos ab eo acceperit, qui talem potestatem dare potuit) etsi error publicus, communis ac probabilis, pro verò & legitimo Iudice eum communiter habeat, acta per illum ut Iudicem facta, valida sunt, supplente jure omnem defectum, qui à jure positivo suppleri potest, ob boni communis & publici necessitatem, prout clarè habetur in *L. Barbarius ff. De officio Prætor. 3.* & desumitur etiam ex *Can. 1. §. Veruntamen causa 3. Qua 7.* Ille tamen qui titulum coloratum non habet, sed malâ fide se intrusit, absque legitima Superioris auctoritate, in officium Iudicis, nihil prodest ad eorum, quæ ut Iudex egerat, valorem, publicus & communis error, jure scilicet defectum non supplente, nisi in officii sui possessione sit Iudex cum duplici illo requisito: valde tamen probabile etiam est, quòd illius etiam Iudicis acta valida sint, qui nullum quidem coloratum, aut apparentem titulum habet,

bonâ tamen fide suam jurisdictionem possidet, & communiter pro vero Iudice habetur, ita ut in tali casu communis error solus sufficiat, ad supplendum ab Ecclesia defectum legitimi tituli, ut colligitur ex *Cap. Consultationibus 19. de Iure patron.* Præsertim si talis, sciente saltem illo, qui titulum legitime conferre potest, in sua possessione existat.

## §. II.

An acta in uno Iudicio valida, valida etiam sint, & fidem faciant in altero Iudicio?

Acta coram Iudice incompetente non valent, neque fidem faciunt coram Iudice competente, ut sumitur ex *Cap. Etsi Clerici 4. hoc tit.* & hinc confessio coram Iudice incompetente facta, confitenti non præjudicat, ut exinde condemnari possit; potest tamen etiam hæc confessio iudicium, & præsumptionem criminis parere, & vim habere confessionis extra Iudicialis, si non per vim & metum tormentorum extorta, sed spontè facta fuerit; cum indignum videatur, ut, quod quisque suâ voce confessus est, postea infirmet, proprioque testimonio resistat.

Quæ tamen coram Iudice competente in uno Iudicio acta fuerunt (circa merita causæ probanda, non tamen circa ordinationem litis) valida etiam sunt, & probant, ac fidem faciunt coram altero Iudice competente, dummodò inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem, seu effectum acta talia producantur, argu. *Cap. 2. De except. in 6.* & juxta *Can. Multi 18. causa 2. Qua. 1.* Quia bonum commune exigit, ut unus Iudex juvet alterum circa causam executioni mandandam;

dam; & hinc, sicuti sæcularis Iudex juvare debet Ecclesiasticum, ad latæ sententiæ sive censuræ observationem, ita Ecclesiasticus etiam juvare debet Sæcularem ad ad executionem sententiæ à se latæ, censuris etiam compellendo damnatum ad observationem sententiæ à sæculari Iudice latæ, ita tamen, ut Ecclesiasticus Iudex prius examinare possit processum à Iudice sæculari factum tanquam hoc Superior, non tamen sæcularis, tanquam Inferior, processum ab Ecclesiastico Iudice factum.

Quòd si tamen ad diversum finem tendant diversa judicia, acta in uno iudicio non probant in altero, nec fidem faciunt, & hinc si coram Iudice sæculari actum fuit ad pœnam legalem, non probant eadem acta coram Iudice Ecclesiastico ad pœnam Canonicam; nec testimonia, quæ probant in Iudicio summario, plenâ semper fidem faciunt in iudicio ordinario.

### §. III.

*De ordine seu modo procedendi summarie, & de plano in Iudicio.*

Quòd Iudicium aliud sit solemne, ordinarium & plenarium, aliud verò sit summarium & extraordinarium, ex dictis jam patet, uti etiam ex diverso modo procedendi utrumque Iudicium inter se differat: hoc ergo §. modus tantum summarii processûs sive iudicii explicatur.

Et primò quidem certum est, quòd duas potissimum ob causas processus hic summarius instituatur. Primò quia sunt tales causæ, quæ celerem expeditionem requirunt, quales sunt pleræque causæ Ecclesiasticæ; causæ quæ incidenter tantum cognoscuntur; causæ beneficiales,

decimales, lites mercatorum, ob nimiam frequentiam; causæ alimentorum, & tributorum, seu collectarum; causæ naufragorum, pauperum, & miserabilium personarum; causæ mercedum & salariorum; quando agitur de Tutore dando &c.

Secundò institui solet processus tantum summarius, si agatur de causis modicis, in quibus de parvo & facile reparabile damno agitur, quales sunt causæ civile sde delicto. v. g. modicæ summarie, respectu personarum litigantium &c. aut si agatur de delictis levibus, aut lis sit mota inter personas viles, & imperitas; aut si agatur Iudicio possessorio momentaneo &c. inter quos modos illud tamen discrimen est, ut, si procedatur summarie propter causæ levitatem, plena probatio necessaria non sit, sed sufficiat etiam semi plena, quia agitur de modico præiudicio. Si verò summarie agatur, quòd causa exigit celerem expeditionem, plena plerumque probatio requiritur, causæ tamen qualitate, & gravitate spectata. Videatur *Clementin. Dispensatam 2. h. tit.*

Tertiò Certum est, quod in processu hoc summario ea, quæ juris naturalis urgentium sunt, non sint omittenda, uti est citatio partis, juramentum calumniæ aut malitiæ, de veritate dicenda, petitio faciendâ ab Actore; terminus ad exhibendas probationes omnes necessarias, & legitimas defensiones producendas &c. ea verò, quæ juris positivi tantum humani solemnitates sunt, nihil in hoc processu summario necessaria sunt; & hinc non requiritur necessariò Libelli oblatio, litis contestatio, variæ dilationes, multa

multa Advocatorum, aut partium iurgia, lupte: fluxu probationes &c. videatur *Clement. sepé 2. De V. S. & Extravag. Frequentes inter communes h. Tit.*

## §. IV.

*De modo procedendi Iudicialiter contra Clericos criminosos.*

**E**X cap. *Cum non ab homine 10. h. r.* modus hic desummi debet, ubi statuitur, quod Clericus ( extenditur hoc communiter etiam ad Regulares ) in quocunque ordine constitutus, etiamsi primâ tonsurâ tantum initiatus esset, propter furtum, homicidium, perjurium, aut aliud simile grave crimen, si de hoc legitime convictus fuerit, ab Ecclesiastico Iudice sit deponendus ( sive verbaliter degradandus per sententiam Iudicis Ecclesiastici ) & si depositus incorrigibilis fuerit, quod sit excommunicandus, ac crescente deinde contumaciâ anathematizandus ( cum solemnitate maiore, de qua infra in *L. 5. Excommunicari* ) & si necdum respuerit, sed in profundum malorum venerit, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, per sæcularem potestatem, cui realiter degradatus tradendus erit, coerceatur, & puniatur. Putant quidem aliqui, modum hunc, contra Clericos criminosos non semper esse observandum, sed posse Clericum facinorosum in gravissimis delictis depressum, furtis v. g. sacrilegis, parricidiis, latrocinis &c. non expectatâ incorrigibilitate, statim degradari realiter, & tradi potestati sæculari puniendum, ut bono publico, & Cleri reverentiæ magis consulatur; verum alii communius, & probabilius putant, etiam propter enormia scelera, non posse Clericum statim tradi

Curie sæculari puniendum, nisi sit incorrigibilis, aut nisi casus sit à jure exceptus, non tantum ob textum cit. Cap. *Cum non ab homine* generaliter loquentem, sed ob textum etiam cap. *Tua 6. de poena.* Ubi de latrocinis, & furtis qualificatis Clericorum puniendis respondet Pontifex, deponendos eos esse ( verbaliter ) & ad agendam poenitentiam in Monasterium detrudendos, vel in carcerem concludendos, ergo nec ob gravissima delicta commissa statim sunt realiter degradandi, & Curie sæculari tradendi, quod apertius esse patet ex Cap. *in fama 35. De sent. excommunicationis.* Sunt autem in jure casus aliqui excepti, in quibus si deliquerint Clerici, non expectatâ incorrigibilitate, sæculari Curie puniendi tradi possunt. Crimen hæresis scil. cap. *Excommunicamus, 13. §. Damnati.* & cap. *Ad abolendam 9. §. 1. de hereti.* Crimen falsationis litterarum Apostolicarum c. *Ad falsariorum 7. de Crimine falsi.* Conspirationis, seu insidiarum structurarum contra proprium Episcopum. *Can. si quis 18. caus. 11. q. 1.* crimen assassini, crimen nefandum contra naturam; non ordinati in Sacerdotes, si missas tamen faciant, confessiones excipiant &c.

## §. V.

*De aliis quibusdam observandis à iudice, vel partibus litigantibus in Iudicio.*

**C**itatio per edictum, per quam firmatum iudicium, perpetuatur, & prævenitur iurisdicção, non tantum locum habet respectu Pontificis citantis, aut ex illius commissione juxta *Clement. Dudum 1. h. tit. & Extravag. 2. inter Com. de dol. 63*

G g 3

continua

*contum.* sed respectu etiam alterius cuiusvis inferioris Iudicis, si scilicet, impediatur aliquis, ne citatio personalis ad eum, sicut ad domum illius facta perveniat.

In libello oblato Iudici non necessarium, de Iure Canonico, nomen actionis exprimi debet *Cap. Dilecti 6. h. 2.* sed satis est, si factum & rei veritas ita exponatur, ut appareat jus actoris & causa petendi, quidquid sit de Iure Civili, juxta quod aliqui volunt, exprimi debere nomen actionis ab Actore, quam intentat: alii tamen etiam de hoc Iure negant; certe consuetudo magis videtur observare jus Canonicum, nisi ex eodem facto plures actiones oriri possint, ubi exprimenda actio, ut appareat, quid petat Actor; quod ipsum tamen omitti potest, si ex aliis conjecturis satis colligi possit mens & actio Actoris.

Si Iudex habeat causam consimilem in specie cum causa sibi commissa, recusari potest tanquam suspectus, *Cap. Causam qua 18. h. 2.* eo quod parti videatur favere, cum qua consimilem causam habet, & merito presumi possit, ita iudicaturus in causa sibi commissa, prout iudicari cuperet in causa sua. Si Iudices de causa principali, & exceptionibus prejudicialibus simul cognoscant, vel super ipsa causa principali lite nondum contestata testes recipiant, potest ab illis licite appellari *cap. exhibita 19. h. 2.* Vide de his & aliis auctor. Method. in hoc §. cujus doctrina etiam alibi traditur.

#### §. VI.

##### *Quomodo finiatur Iudicium?*

**I**udicium sive instantia Iudicii duobus modis finitur, per lapsum temporis;

& per absolutionem ab observatione Iudicii: per lapsum temporis, de Iure Civili, per instantiam in causa criminali intra biennium; in causa vero Civili intra triennium à liti contestatione numerandum *L. Properandum 13. Cod. h. 1.* De Iure tamen Canonico nec per lapsum triennalis, nec per lapsum biennalis temporis expirat instantia, sive in Civilibus sive in criminalibus causis. Uti docet *Gloss. communiter recepta in c. Venerabili 20. h. 1.* Quia non expediebat dictam Legem Civilem, de pereunte instantia per lapsum certi temporis recipi, cum tali modo non consuleretur expediendis civilibus, sed hæc potius fierent immortaliter cum de Iure Civili finito triennio lites eandem inchoare iterum potuissent partes, ac si nihil unquam motum fuisset, & frequentibus appellationibus à sententiis interlocutoriis, quæ de Iure Canonico concessæ sunt, faciliè ultra tempus constitutum lites extenderentur. Concedit quidem *Trident. sess. 24. c. 20. de refer.* quod si causa ad forum Ecclesiasticum deducta, in prima instantia coram locorum Ordinariis cognoscenda, infra biennium à die motæ liti non terminetur, liceat partibus, ad aliud iudicem superiorem causam illam deducere, ita tamen ut acta elapso biennio aut instantia non pereant; sed partes, si velint, vel coram eodem iudice litem proseguere possint, vel si lubeat, superiorem adire, causam tamen proseguere possint, ubi inferior defuit, & in eodem, quo fuit apud inferiorem statu, assumere. Hæc in puncto iuris vera sunt, consuetudo tamen videtur potius approbare Iuris Canonici sanctiones, quam quæ Iura Civilia statuunt. Per

Per absolutionem ab observatione iudicii perit instantia, si in progressu litis appareat, intentionem ac petitionem Actoris in libello ineptè propositam fuisse, quo in casu absolvitur reus ab instantia hujus Iudicii, reservato tamen Actori jure iterum agendi, & rectius libelli formandi, prout habetur in *e. Examinata 15. h. tit.* ut reo provideatur, ne respondere debeat ad ineptè petita, & tamen etiam Actor non multum patiat, ob ineptè formatum libellum, sed rebus suis, melius hunc formando, consulere possit: & hinc si in principio statim, antelitem contestatam, libelli ineptitudo appareat, statim libellus talis à iudice ex offi-

cio rejici debet, & lis non contestari ante libellum melius formatum, nisi ex aliis circumstantiis & conjecturis satis appareat intentio, & petitio Actoris, quæ etiam non nominatâ actione ex æquitate observari debet. Sunt insuper alia, quæ faciunt iudicium omnino nullum, in competentia scilicet Iudicis, Persona Actoris, aut Rei, quæ in iudicio agere, aut conveniri non possunt; Res ipsæ, quæ non possunt coram hoc Iudice tractari, defectus Citationis; defectus & ommissio substantialium solemnitatium; ordo juris non servatus, qui ad substantiam iudicii pertinetur, de quibus tamen alibi.

## TITULUS II.

### DE FORO COMPETENTE.

#### SECTIO I.

*De foro competente in genere, & variis modis, quibus constituitur forum competentis.*

##### §. I.

*Quis dicatur Iudex competentis, & quod forum competentis?*

**F**orum competentis aliud non est, quam tribunal Iudicis, cujus jurisdictioni in tali causa reus subicitur, sive ubi res ab Actore conveniri potest, ac debet, juxta illud, quod ordinariè forum rei actor sequi debeat, & hinc Iudex competentis dicitur ille, cujus jurisdictioni subicitur Reus, sive coram quo actio &

lis proponi, institui, ac fini potest. Est autem Iudex competentis alius simpliciter competentis, quem partes litigantes adire possunt, & per se debent, tanquam ordinatum suum Iudicem. Alius per se quidem incompetentis est respectu partium litigantium, cujus tamen jurisdictionem partes in se prorogare possunt. Alius denique est simpliciter respectu harum partium incompetentis, qui nec ordinariam in partes litigantes jurisdictionem habet, nec per partium consensum jurisdictione ejus in has partes prorogari potest; cujus sententia ipso jure est irrita, & contra hujus sententiæ nullitatem semper excipere possunt partes, ita ut nunquam in rem judicatam transeat, si certò constet de Iudicis absoluti incompetentis.

§. II.

## §. II.

*De variis causis, seu modis, quibus constituitur forum competens.*

Ordinarij sunt quatuor modi, quibus forum competens constituitur, & sortitur aliquis, prout habetur ex *cap. ult. h. t.* ratione domicilii scilicet, ratione contractus, ratione delicti, & ratione rei sitæ in certo territorio aliquo. Præter hos quatuor modos, de quibus pauld post, sunt etiam extraordinarij aliqui & generales, quibus forum quis sortiri poterit. Sic primò ex *e. Licet 20. h. t.* patet, quòd advenæ & peregrini in curia Romana conveniri possunt, si Romæ existant, quamvis ex nullo alio quatuor modorum prius enumeratorum forum competens Romæ sortiantur; Clerici quidem in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, tam Civilibus, quàm criminalibus; Laici verò saltem in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, cum enim omnes Ecclesiæ totius mundi sint in territorio Papæ, consequenter respectu omnium Ecclesiis illis subditorum competens Judex est Papa. Per hoc tamen non negatur taliter convento, ex justa & necessaria causa, litem sibi Romæ intentatam domum revocare ad forum domicilii, ubi ad respondendum melius instructus est, & quamvis *Trident sess. 24. c. 20. De refor.* velit, ut causæ Ecclesiasticæ in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur, ac terminentur, per hoc tamen nihil derogatum voluit *Cap. Licet.* Cum omnium locorum Ordinarius dici possit etiam Papa, & Roma sit communis omnium in Christo fidelium patria.

Secundò possunt etiam sortiri forum aliqui ratione causæ, prout causæ Ecclesiasticæ & Spirituales etiam Laicorum coram Judice Ecclesiastico tractari debent, etsi nec ratione domicilii, nec ex alio ordinatio capite, ad talem judicem personam tale spectarent. Tertio, possunt spectare forum sortiri aliqui, ob certa illis concessa privilegia, quibus ab ordinario foro exempti, certo foro gaudent. Quarto ratione Communitatis privilegiatæ, cui adscripti sunt, Et quinto denique ratione continentia, & connexionis causarum, de quibus suis locis.

## §. III.

*Quomodo, & quando sortiantur quis forum, ratione domicilii, sive originis, sive habitationis?*

Duplex est forum domicilii, originis scilicet, & habitationis. Originis domicilium ibi quis censetur habere, ubi quis natus est ex patre, qui non tantum per modum transeuntium in hoc loco, ubi quis natus est, morabatur, cum ubi domicilium habeat, sed in quo pater nati filii stabile domicilium habebat, si tamen aliquod haberet, licet filius extra hunc locum ex occasione transeuntis, per aut fugæ natus sit. Imò juxta aliquos ibi etiam forum originis sortitur aliquis, ubi pater illius natus, vel si ipse nepos vivente avo, & in hujus potestate natus sit, avitæ originis forum sortitur: nunquam autem matris, nisi sit vulgò quæsitus, qui patrem demonstrare non potest. Et quamvis de jure fortius sit domicilium originis, quod immutabile dicitur (neque enim qui in hoc loco v.g. natus est, non potest esse aliquando in hoc loco

natus

non natus) domicilium tamen habitationis quoad jurisdictionem præfertur; & recepta passim consuetudo habet, ut mutato domicilio ex loco originis in alium locum, jura etiam originalia, quoad officia, munera, & præstationes, &c. amittantur.

Domicilium habitationis verò ibi censetur quis habere, ubi actu habitat, & animum habet permanendi, nisi quid occurrat, quod animum illius immutet, ita ut duo requirantur ad constituendum domiciliū, actualis scilicet habitatio (saltem inchoata) & animus permanendi in tali loco; & sicuti Clericus duo beneficia habens, in diversis Ecclesiis, quorum quodlibet residentiam per dimidium v. g. annum requirit, domicilia habere dicitur, si in quolibet beneficio conveniente tempore residet, sic etiam Laicus dici potest duo domicilia habere, si in duobus v. g. locis per æquales anni partes actu habitat, cum animo, ita utrobique residendi, ita ut in quolibet loco ex ratione domicilii conveniri possit, etiam ob contractus, & crimina alibi commissa, tanquam absolute loci illius Magistratui subditus, si ab alio iudice loci illius, ubi contractum, aut delictum est, non fuerit præventus. Vagi autem, qui nullibi sedem stabilem habent, sicut ubique, ubi existunt, conveniri possunt, juxta illud, ubi te invenero, ibi te iudicabo. Qui verò alibi quidem stabile domicilium habent, ad alium tamen locum veniunt, animo per annum v. g. vel majorem anni partem ibi commorandi, censentur, si in tali loco dicto modo morentur, quasi domicilium in tali loco habere, ut de delictis aut contractibus v. g. etiam alibi commissis conveniri

*Compend. Pirhing.*

coram loci illius iudice possint, prout famuli, milites, præsidarii, studiosi, &c. se habent. Quòd si tamen absque dicto animo longius in loco tali permanendi, ad locum talem accedant, præter opinionem tamen suam per accidens diutius ibi morari cogantur, non dicuntur quasi domicilium ibi habere, sed hospites tantum & loci illius peregrini.

§. IV.

*Quomodo constituatur forum ratione delicti?*

**R**atione delicti sortitur quis forum, & subicitur jurisdictioni illius iudicis (in foro externo scilicet in cujus territorio deliquit, etiam si aliàs ei subditus non esset (ut scilicet scelera in eo loco puniantur publicâ vindictâ, ubi commissa fuerunt; & ob bonum publicum manifesta sit delicti puniatio, ubi cum offensa boni publici delictum commissum est. *arg. C. Postulasti 14. h. r.*) si in tali loco, ubi deliquit, deliquens deprehenditur, vel si antequam ex territorio tali egredia- tur, citatione perventus fuit. Sicuti autem nullum delictum exceptum est in tali loco commissum, quod territorii illius iudicis jurisdictionem non subeat, ita nulla persona exempta est, ab hoc delicti foro, (si tamen delictum non tantum sit contra particulare statutum aliquod, ad quod fortassis alter non tenetur, sed contra jus commune) pro conditione tamen personæ, ut scilicet Ecclesiasticus delinquens forum delicti huius ratione sortia- tur apud Ecclesiasticum illius loci iudicem, sæcularis verò apud sæcularem iudicem, & regularis apud regularem juxta *Trident. constit. Sess. 6. C. 3. de refor.*

H h

*Et Sess*

Et Sess. 25. c. 14. de regula. De qua re alibi.

Quòd si verò in uno quidem loco seu territorio inchoatum est delictum, in alio autem perfectum, & consummatum (ut si quis globum ejaculetur in territorio Electoris Bavarie, & occidat hominem in territorio Episcopi Augustani existente) probabile quidem est, quòd Judex loci, in quo delictum perfectum est, & homo occisus, non judex loci, ubi delictum inchoatum est, possit delinquentem talem, si in territorio illius deprehendatur, judicare, & punire, probabilius tamen est, quòd utriusque territorii judex procedere contra talem delinquentem possit, & detur locus præventioni, (cùm in utroque territorio reus deliquisse censeatur) nisi vulneratus lethaliter in uno loco, ad alterum sic vulneratus abiisset, & mortuus esset, quo in casu punitio & judicium vulnerantis, penes judicem loci, ubi vulnus inflatum est, esset.

Si tamen Reus ex loco delicti commissi fugiat ad aliud territorium, cum spectato jure communi, si sub eodem Supremo Principe sit tale territorium, judex talis territorii si fuerit requisitus à judice delicti vel domicili, eum capere, & remittere debet, cùm ejusdem Principis judices se invicem juvare debeant, si requirantur, ne delicta maneant impunita; Si verò Reus ad territorium fugerit, quod est sub alio Principe, non tenetur Reus remitti, neque cogi potest illius loci judex ad hunc remittendam, quamvis compelli possit, ad agendum à Reo talis fori ratione læsionis aut damnorum factorum. Hæc autem remissio-

nis materia, quia hodie multum à consuetudine dependet, illa consulenda est, vel statuta particularia, &c. juxta quæ in nostra saltem Germania delinquentis punitur, ubi deprehenditur, absque ulla remissione facta ad judicem delicti: neque possunt ministri aut officiales sui judices, ubi delictum commissum est, in alieno territorio, quòd reus jam arripit, eum persequi, sed ab omni illa persecutione desistere debent, quòd primùm alienum ille territorium attingit nisi sint grassatores, latrones, aut alii miles pacis publicæ perturbatores, eorum persecutio in Imperio etiam extra territorium persecutentis continuari potest. Quomodo etiam Prælati Regularis in quoslibet sui Ordinis Regularibus cùnque delinquant, jurisdictionem habent ratione obedientiæ illi promissæ, & bellidux in quoslibet milites sui exercitus.

#### §. V.

Quomodo, & quando constituitur forum ratione contractus?

**R**atione contractus aut quasi contractus sortiri forum contrahentes ubi contraxerunt, ex c. ult. h. t. & ex c. 1. eodem in 6. patet, si tamen in loco, ubi contraxerunt, moram habent, tabernam, officinam, tentorium erigendo, ad merces distrahendas, sive horreum conduxerint ad emendam, aut vendendum (neque enim, qui cum viatore, aut peregrino sciens hunc talem, & statim iterum discessurum, contrahit, in loco contractus hunc talem convenire poterit, nisi etiam hic talis in judicem contractus consensisset, aut aliud exigat natura



nra contractus, aut consuetudo loci, alijs enim durissimum tali peregrino foret, ubique locorum, quo devenit, respondere) & si in loco contractus reperitur; si enim territorio contractus jam excesserunt, urgeri amplius non possunt, ad comparandum coram iudice loci illius personaliter, quamvis immissio in illorum bona, si quæ habent in tali territorio, & citati contumaciter absint, fieri possit, prout habetur in *cit. c. 1. §. Contrahentes*, vel si nulla bona habeant, in loco contractus, habeant tamen in loco domicilii, ad hunc locum Actor remitti poterit, & Iudex domicilij requiri, ut Actorem in bonorum talium possessionem immittat. Quæ tamen omnia intelligenda sunt, nisi aliter contrahentes convenierint, qui sicuti solutioni faciendæ certum locum nominare possunt, ita ad contractum implendum convenire possunt, de domicilij, vel loci celebrati contractus Iudice, aut receptæ consuetudini deferendum erit.

## §. VI.

*Quomodo, & quando constituatur forum ratione rei sitæ in alieno territorio?*

**S**TACTIO realis aut mixta intentatur, potest conveniri reus coram Iudice, in cuius territorio res sita est, siue immobilis hæc sit, siue mobilis (modò res talis mobilis non sit tantum custodiæ causa, & sic tantum transeunter in loco tali deposita) *c. sane 3. §. c. ult. h. tit.* ita ut penes Actorem sit, si res immobilis feudalis non sit, utrum in loco domicilij rei, an verò ubi res sita est, agere velit; Quamvis e-

nim tali Iudici, ubi res sita est, non sit absolute subditus rei talis possessor, & consequenter actione merè personalicoram tali Iudice conveniri non possit, sit tamen subditus secundum quid, in ordine ad rem in illo loco sitam & possessam; quòd si tamen in tali casu Actor non forum rei sitæ eligat, sed forum domicilij, & reum conveniat coram Iudice domicilij, debet postmodum Iudex rei sitæ, ad denuntiationem Iudicis domicilij, qui sententiam tulit, eam exequi *argu. cap. Postulasti 14. h. r.*

## §. VII.

*An, & qua ratione preventus à Iudice competente, non obstante postea mutatione fori, adhuc coram illo in iudicio respondere teneatur?*

**Q**UOD talis, si à Iudice competente legitime preventus fuerit, per citationem v. g. ad instantiam partis factam, etiamsi postea forum mutaverit, nihilominus coram priori Iudice respondere teneatur, & causam prosequi, constat *ex c. Proposuit h. r.* Ibi enim finiti iudicium debet, ubi ceptum est. *l. Vbi 30. ff. de Iud.* Quamvis enim egressus ex loco, ubi domicilium habuit, desinat esse subditus ratione domicilij illius loci Iudici, quam primum locum illum animo transferendi domicilium egressus est, manet tamen illi quoad hanc causam, circa quam ante excessum, per legitimam citationem preventus fuit, ratione preventionis subditus; nisi etiam una cum mutatione domicilij, vel jurisdictionis, mutetur status personæ, si Clericus v. g. vel Religiosus fiat, tum enim coram Iudice

dice Ecclesiastico conveniri debet, quamvis non improbable sit, ad multam pecuniariam coram Iudice etiam seculari, à quo Laicus prævenerit, conveniri posse.

## SECTIO II.

*An, & quomodo Iudex, competens jurisdictionem suam extendere, aut jus dicere possit extra territorium proprium?*

Quod Iudex non possit directè jurisdictionem contentiosam exercere, extra territorium proprium, sive in alienos subditos sive in suos, quoad res & bona in alterius territorio sita, certissimi juris est, tantum id in quaestione venire potest, an, & quando statuti vel sententia Iudicis extra proprium territorium se extendat, & effectum aliquem habeat. De qua res sit.

### §. I.

*An statutum reddens personam habilem, vel inhabilem, ad Contractus, vel Testamenta, extendatur etiam ad bona extra territorium sita?*

Statutum particulare, Provinciae aut Civitatis alicujus directè tantum disponat circa formam actus, præscribendo v. g. quænam substantialiter ad valorem contractus v. g. aut Testamenti &c. in tali loco facti requirantur, vel si directè disponat circa personas, sive jurisdictioni subiectas, habitans illas v. g. ad actum faciendum, validus est actus, juxta formam talem in illo loco factus, à

quocumque demum, sive incolâ sive peregrino ibi contrahente v. g. aut testante &c. fiat, etiam quoad bona extra territorium talis Provinciae aut Civitatis sita, quamvis enim circa hæc bona nullam directè jurisdictionem statuentes talia exercere possint, possunt tamen indirectè, contractum v. g. aut testamentum in tali loco factum validando, vel irritando.

### §. II.

*An sententia Iudicis condemnans ad pœnam, vel infligentis pœnam confiscationis bonorum se extendere possit extra territorium Iudicis pœnam statuentis?*

Sententia pœnalis seu pœnæ infligentis ordinariè se non extendit extra vel ultra territorium Iudicis sententiam talem ferentis in ordine ad sententiæ talis executionem, (quia Iudex non potest actum jurisdictionis contentiosæ, qualis est executio sententiæ exercere extra proprium territorium c. 2. De constit. in 6.) nisi requiratur alterius territorii Iudex, ut pœnam in ejus territorio exequatur, consenserit, vel pœna imposita, ex præscripto legis in quo loco communis, ita ut uterque Iudex eam observare debeat; quibus in casibus sententiam ab hujus territorii Iudice tantam alterius territorii Iudex exequi debet. Quod si verò ex lege communis bona in pœnam confiscentur, & hæc in diversis territoriis existant, ita tamen ut diversa hæc territoria uni subsint Principi v. g. tum bona confiscata, in quocumque territorio existant, ad fiscum Principis illius redigentur; si tamen sub diversis Principibus sint talia territoria, & ex dispositione Legis utriusque territorio communi

munis pœna confiscationis imponatur, tum illi fisco omnia bona mobilia confiscata cedunt, in quocunque territorio sita sint, & bona immobilia in hoc territorio sita, ubi sententiâ condemnans lata fuit: quæ autem in alieno territorio bona immobilia sita sunt, illius territorii fisco cedent, si confiscandi bona jus habeat Dominus, si autem ex speciali tantum certi territorii statuto confiscatio pœnalis fiat, locum illa non habebit circa bona extra territorium confiscantis sita, etiam si utriusque territorii idem Princeps sit, ut ne fiat odiorum extensio, sed tantum ad bona in tali territorio sita, ut statutum tale viget, extendi potest. Vide de his Civilibus plura apud Auct. Meth. l. cit.

## SECTIO III.

## De foro competente Clericorum.

## §. I.

Quis sit iudex competens Clericorum?

Quod conveniri possint Clerici non exempli coram suo Episcopo, qui Iudex Ecclesiasticus ordinarius est totius Diœcesis, si ve à Laico si ve Clerico conveniantur, in causis tam civilibus quàm criminalibus, certissimi juris est *Can. Si quis 45. & can. Si Clericus 46. causa 11. q. 1. & c. 1. h. t.* nisi cum consensu proprii Episcopi apud alium Ecclesiasticum Iudicem partes agere velint, aut speciale aliquod Privilegium vel recepta consuetudo, vel ipsæ etiam leges aliis etiam Eccle-

siasticis jurisdictionem in quosdam Clericos tribuant *c. Cum contingat 13. h. t. & c. Cum Ecclesiarum 3. de Iudi. ord. junct. Gloss. verbo Ecclesiastica sententia*: Quo in casu, si exempli tales Clerici aut Prælati non sint à jurisdictione Episcopi, penes Actorem optio erit, Clericum talem vel coram suo Episcopo, aut coram inferiore immediato Prælato jurisdictionem in illum habente, convenire; & Prælati talis inferior, si territorium proprium non habeat, in personas suæ jurisdictioni subiectas, potest eam exercere in quovis Diœcesis illius loco, ne frustra sit illius jurisdictio, quæ personas tantum certas respicit, & non certum locum inter Diœcesim illam situm, Episcopus tamen extra suam Diœcesim jurisdictionem contentiosam exercere non potest, nec in ordine ad suos subditos, cum hujus jurisdictio certum etiam locum respiciat, nisi vel ex consensu loci illius v. g. Diœcesis Episcopi vel ex sua Diœcesis expulsus beneficio seu privilegio *Clementina unica h. t.* uti velit.

## §. II.

In quibus casibus in specie Clerici coram Iudice seculari conveniri non possint, & in quibus possint?

In genere quidem certum est, quod nullus Iudex secularis per se condemnare possit, vel judicare personas Ecclesiasticas, si ve Clericos, *c. Nullus 2. h. t.* nullâ consuetudine, quamvis immemorialis illa sit, quidquam juvante, etiam si liquida partes contra eos instrumenta producta fuissent, ita ut sola executio facienda esset, *c. Saculares 2. h. t. in 6.* ita

Hh 3

ut

ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui contrarium agit, & hinc conveniri non possunt Clerici & aliæ personæ ecclesiasticæ coram seculari iudice, non tantum in actionibus personalibus, sed neque in causis sive actionibus realibus, (quidquid sit de contraria alicubi recepta praxi quoad actiones reales) *argu. o. si Clericus 5. h. r. & e. fin. De iudiciis*, cum res in territorio secularis Iudicis sita forum illi non tribuat, si persona per speciale privilegium omnino exempta sit, neque hæres Clericus, qui in bona Laici successit, conveniri potest ex sententia probabiliore ratione horum bonorum coram seculari iudice, etiam si coram Iudice Laico contra defunctum Laicum lis jam fuisset inchoata, neque enim per præventionem Iudicis Laici perditur privilegium fori Clericis concessi, cum hoc nullo jure probetur; neque conveniri potest Clericus coram Laico Iudice in causa communi Clerico cum Laico, aut pluribus Laicis propter consortium, sed contra potius fieri debet, ut Laicus coram ecclesiastico Iudice in causa tali cum Clerico communi conveniatur, (quia magis dignum trahit ad se minus dignum) si tamen causa dividi non possit; si enim dividua esset, quisque coram suo Iudice conveniri deberet. Neque denique conveniri potest Clericus coram Iudice Laico, etiam si tantum in possessorio agatur, non quidem fortasse propter qualitatem causæ, sed propter qualitatem personæ.

Sunt tamen plures etiam casus, in quibus Clerici coram iudice Laico conveniri possunt. Et primò quidem in causis feudalibus *c. Verum 7. h. r.* Secundò

in casu, quo bona immobilia Clericis vel Ecclesiis donata aut data sunt, cum tali pacto seu conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius existerent, quæ conditio, utpote justa, si ab Ecclesia donatio vel datio talis acceptatur, servanda est, prout Principes Imperii Ecclesiastici ratione suorum Privilegiorum & Regalium, quæ ab Imperio habent, Imperio subiecti sunt. Tertio si agatur contra Laicum ad evincendum ab ipso rem quam emit à Clerico, & Clericus venditor ad defendendum emptorem ei assistere velit, coram Iudice seculari, ipsius scilicet emptoris, comparere debet. Et quartò sicuti Laicus ratione administrationis Ecclesiasticæ non tantumquam debet coram Iudice Ecclesiastico officii sui rationes reddere, ita Clericus etiam ratione officii, si alieno nomine conveniatur, Tutor v. g. ratione pupilli Curator ratione minoris &c. coram Iudice seculari respondere potest.

### §. III.

*Quinam in specie gaudent privilegio fori Ecclesiastici?*

**N**on tantum Clerici in sacris constituti privilegio fori Ecclesiastici gaudent, sed etiam Clerici in minoribus constituti, vel si tantum tonsuram initiati, si observent ea quæ à Trident. Sess. 23. c. 6. de refor. his præscribuntur, ut scilicet vel beneficium Ecclesiasticum (latè accipiendi nomen beneficii, prout etiam pensionem significat) habeant, vel si beneficium non habeant saltem Clericalem habitum & tonsuram deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel certè habitum & tonsuram deferant.

res in seminario aliquo Clericorum vel in aliqua schola, vel in Universitate aliqua, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur. Et quamvis hoc fori privilegium rectè ad Clericos conjugatos, qui cum unica eaque virgine (ab alio non corrupta) contraxerunt, & dictas conditiones observant, extendatur, probabilior tamen dici potest, quòd in criminalibus tantùm hi hoc fori privilegio gaudeant, sive si de crimine puniendi sint, criminaliter, sive civiliter conveniantur: rectius tamen hoc fori privilegium ad uxores legitimas talium Clericorum, uti & liberos eorum non extenditur, cum privilegium hoc sit privilegium personale, & uxores in illis tantùm fortiantur forum mariti, qui cum ipsis communicari possunt, multò minùs extendi debet ad concubinas Clericorum (quarum delicta cum Clericis commissa, rectè dicuntur mixti fori delicta) ad familiam Clericorum, ad rusticos & colonos Clericorum, &c. de quibus tamen cum jura nihil speciale ratione fori statuunt, juxta jus commune cum illis procedendum est. Rectius tamen hac in re videtur consuetudini adscribendum, quod nonnunquam fit, quàm juris privilegio.

Gaudent autè hoc fori privilegio etiam Monachi, & Regulares omnes utriusque sexus; etiam Laici conversi, Novitii, oblato, Religiosi ordinum militarium, Fratres tertii Ordinis S. Francisci; Eremitæ, qui tria substantialia vota religiosa emisserunt; vel si tria hæc vota non emisserunt, vivunt tamen communiter in Congregatione aliqua, juxta ritum ab Episcopo approbatum; vel si solitarii vi-

vant, deserunt tamen habitum & tonsuram, & sunt auctoritate alicujus Episcopi, Episcopo ad servitium alicujus Ecclesiæ deputati, & vivunt sub obedientia Episcopi, & si hospitalia sint auctoritate Episcopi erecta, etiam hospitalarii, si in talibus domibus vivant, & talium hospitalium incolæ, qui sub obedientia dictorum hospitaliorum vivant, privilegio fori gaudent, quia omnes isti nomine personarum Ecclesiasticarum in latiori acceptione venire possunt, attendenda tamen in multis consuetudo est.

## §. IV.

*Quando, & in quibus casibus Clerici non gaudeant privilegio fori Ecclesiastici?*

**P**rimò, Clerici beneficiati, in sacris constituti, si habitum & tonsuram nunquam deserant (ita ut Laici passim habeantur, sine ulla justa causa, & ab Episcopo suo ter moniti, eum non resumpserunt, vel semel in Synodo generali quidem sub expressa tamen comminatione privationis privilegii fori, privilegium hoc amittunt. *In audientia 25. & 6. Contingit 45. De sententia Excom.* Ita tamen ut si postmodum (sine fraude supert fugiendi fori secularis) ea assumpta sint, privilegio hoc gaudeant, cum in tali casu non absolute, sed præcisè propter dimissum habitum & tonsuram privilegio fori non gaudeant, ergo his assumptis privilegio suo gaudebunt, modò nihil in fraudem fori alterius factum sit.

Secundò, si propter delictum, & subsequentem incorrigibilitatem excommunicati Clerici etiam in sacris constituti fuerint, & in contumacia perseverent, ipso

ipso jure amittunt privilegium fori, & fori secularis fiunt; si tamen per sententiam judicis Ecclesiastici declaretur incorrigibilitas, & actu tradatur potestati seculari *c. Cum non ab homine 10. de iud. § c. Ut fama 35. De sententia excommunicationis*

Tertiò, si se immisceant enormitatibus, sive multa enormia delicta committant, privantur ipso jure fori privilegio Clerici, quamvis in sacris constituti sint, saltem post trinam monitionem Episcopi, & ut aliqui putant, post degradationis realis sententiam, & actualem traditionem seculari Magistratui factam, quod conformius juribus est.

De aliis casibus, in quibus Clerici perdunt privilegium fori, vide *c. Vincum De vit. § honest. Cleric. in 6. § Clement. 1. eodem c. 1. De homicidio in 6. c. 2. De penis in 6.* Et quamvis qui judicari non potest à seculari Magistratu, nec ab eo capi possit, & in carcerem conjici, sunt tamen plures etiam casus, in quibus secularis Magistratus etiam Clericos capere potest, non obstante fori privilegio, quod contra talem captam nihil illis patrocinatur: Sic primò capi potest Clericus à seculari Magistratu (ex tacita saltem commissione Magistratus Ecclesiastici) si in delicto deprehensus fuerit, aut debita gravia contraxerit, vel gravi injuria Laicum affecerit, &c. & de fuga suspectus sit, non ut ab eo puniatur, sed ut suo Magistratui Ecclesiastico puniendus tradatur. Secundò, ut præveniatur delictum committendum, ut si de nocte armatus incedat, & suspectus sit de homicidio committendo. Tertiò, quando expressum mandatum habetur

ab Ecclesiastico Magistratu, ut ob delictum commissum capiatur Clericus. Quartò denique quando impunè verberari potest à Laico, *juxta c. 3. De sent. exco.* In tali enim casu etiam capi potest. De eo tamen, utrum quis Clericus sit, si hanc exceptionem ad forum declinandum opponat aliquis, cognoscere debet judex Ecclesiasticus, uti etiam, si quis fraudis arguatur in assumendo, aut resumendo statu Clericali.

## §. V.

*Quo jure Clerici, aliæq; personæ Ecclesiasticae sint exemptæ à jurisdictione, & potestate seculari, num postivo tantum seu humano, an etiam divino & naturali?*

Qui Clericos & alias personas Ecclesiasticas jure Divino & naturali exemptum à Laica potestate, & jurisdictione, multi sunt, & non levia fundamenta habent suæ opinionis, non tantum ex antiquo testamento, ubi Levitarum tribus nulli alii tribui subdita fuerat, sed soli Aaroni, & successoribus Sacerdotibus summis, &c. sed etiam ex novo *Matth. 23.* ubi Christus seipsum, & Petrum à solvendo tributo eximi putat, &c. & ex jure Canonico *c. Quamquam 4. De censib. in 6. & ex Trident. sess. 25. c. 10. De refug.* Et ex ratione denique, eò quòd personæ tales sint in sortem Dei segregatæ, in ergò alia inanimata, in ministerium Dei peculiariter selecta, uti sunt sacri Calices facta Altaria, Tempa, & vasa alia Altari ministerio dedicata, à profano usu, & civili dispositione exempta sunt de jure naturali & divino, cur non etiam personæ Eccle-

Ecclesiasticæ? His tamen nihil obstantibus fatetur quidem communior sententia, originaliter juris Divini esse hanc Clericorum exemptionem, eò quòd scilicet Deus dederit Summo Pontifici hanc eximendi potestatem, & satis certum esse, quòd in rebus merè Spiritualibus & Ecclesiasticis exemptio hæc sit juris Divini formaliter, & immediatè; Clericorum tamen & talium personarum Ecclesiasticarum exemptionem formaliter & immediatè juris esse positiivi humani, tam Canonici, quàm Civilis; tum quòd potestas circa Ecclesiastica & Spiritualia immediatè à Christo data est Summo Pontifici, sicuti potestas politica in ordine ad temporalia à Republica datur Principi: tum quòd utriusque iuris textus hanc exemptionem Clericis tribuant, & non in primitiva Ecclesia, omnis anima juxta Apostolum sublimioribus potestatibus (secularibus scilicet) subiecta fuerit, sed ipse etiam Apostolus ad Cæsarem appellaverit, tum quòd Pontifex etiam hodie possit minuere, aut extendere hanc exemptionem. Neque argumenta contraria efficaciter intentum probant, cum antiqui testamenti leges judiciales & cæremoniales hodie non amplius valeant, & novi Testamenti verba de Filio Dei ab omni potestate humana exempto intelligi possint; Sacri verò Canones, & Tridentinum satis explicentur, si originaliter Divini juris hæc exemptio dicatur esse, vel saltem si dicatur talis exemplatiter facta ad antiquæ legis exemptionem, non quidem immediatè à Deo, sed à Summo Pontifice; Ad rationem denique responderi potest, nihil eà efficaciter probari, cum vel de rebus

*Fishing. Compend.*

consecratis procedat, quibus ratione consecrationis major reverentia debetur, vel de rebus non consecratis, & par erit dubitandi ratio: quia tamen nec secundæ sententiæ argumenta efficaciter aliquid probant, videntur priori, quæ Clero favorabilior, & communior est inter Canonistas, sua major probabilitas non neganda.

## §. VI.

*An, & quando Archiepiscopus sit iudex competens inter subditos Clericos, vel Laicos Suffraganeorum, vel non sit?*

**N**ON potest Archiepiscopus causas Neorum, qui suis Suffraganeis subditi sunt, si per appellationem à Suffraganeis ad se devolvantur, cognoscere, nisi prius de appellatione cognoscat, num legitima illa, an frivola sit. *C. Romana l. h. l. in 6.* Neque potest etiam querelas audire super salariis Advocatorum v.g. in causis per appellationem ad se devolutis, ne videatur jam sibi in talibus causis atripere instantiâ, quod facere non potest; & quamvis cogere non possit immediatè subditos suorum Suffraganeorum, ut delegationem causæ alicujus suscipiant, vel præcepta sua aut sententiam exequantur, aut in causis per appellationem ad se devolutis, testimonium perhibeant, aut ut super contractibus à se, vel suis officialibus auctoritatem accipiant, aut forum, nisi consuetudo recepta aliud obineat *juxta cit. c. 1.* cum non habeat jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, nisi in certis quibusdam casibus, quales isti non sunt; potest tamen suo Suffraganeo ob jurisdictionem in hunc

*I i man*

mandare, ut sententiam in causa appellationis contra subditum illius latam, exequatur, vel subditum suum compellat, ad ferendum in causa appellationis testimonium; *juxta Gloss. hic V. suscipere.*

#### SECTIO IV.

*De foro competente Laicorum conventorum à Clericis, & quando Laicus conveniri possit apud Judicem Ecclesiasticum?*

##### §. I.

*Ubi, sive coram quo Judice Ecclesiastico, an Seculari, Clericus conveniri possit, vel debeat Laicum?*

**E**X regula quadam generali actor forum rei sequi debet, & consequenter actor Clericus reum Laicum coram seculari Magistratu convenire deberet; sicuti tamen consuetudo peculiarium Regionum hac in re varia est, ita possunt etiam jura contra communem regulam decidere aliquid. Et hinc *juxta c. si Clericus s. h. t.* primò, si Clericus contra Laicum agit, petendo ab eo rem, de qua constat, quòd Ecclesie sit, aut Clerico propria, vel quando Laicus non negat, rem peritam Ecclesie, aut Clerici esse, adiri debet Judex Ecclesiasticus, eò quòd in tali casu videatur sacrilegium in detentione intervenire, de quo judicat Ecclesiasticus; si verò Laicus negat, rem, quæ petitur Ecclesie aut Clerici propriam esse, vel satis constet, nec Ecclesie, nec Clerici propriam hanc rem esse, vel saltem dubium sit, num sit Ecclesie aut

Clerici propria, Clerico actore affirmat, Reo tamen Laico negante, coram judice seculari causa talis cognosci debet (ob communem regulam, quòd actor forum rei sequi debeat) modò Laicus conventus fortassis apud Ecclesiasticum judicem à Clerico asserente, rem hanc Ecclesie aut propriam esse, protestetur coram eo, si neget, rem hanc, Ecclesie esse, quòd per hanc negationem, neque laici contestati, neque in illius jurisdictionem consentire velit, ne prorogare in jurisdictionem Ecclesiastici judicis videatur: nunquam tamen si causæ principali adhæreat aliqua qualitas, quæ hinc dras possit Ecclesiasticam, etiam si reus conventus eam neget, mixti fori tamen censebitur causa talis, ut etiam coram Ecclesiastico negans reus conventus possit.

##### §. II.

*In quibus præterea casibus Laicus conveniri possit coram Judice Ecclesiastico, sive à Clericis, sive etiam à Laicis?*

**R**egulariter quidem Laicus coram Laico Magistratu conveniri debet in causa Civili, si tamen judex Laicus desit officio suo in administranda justitia, potest reus Laicus ab actore, sive Clericus hic sit, sive Laicus, trahi ad judicem Ecclesiasticum, etiam si causa metè Civilis sit *C. Licet. 10. & c. Ex terrore 11. h. t.* (sicuti enim justitia negligenda non est) quin imò viduæ, pupilli, orphani, & alii ejusmodi miserabiles personæ, si opprimantur, aut possessione suâ spoliarentur, possunt statim & immediate Laicum



convenire coram Ecclesiastico Magistratu  
*a. Ex parte 15. h. t. ad recuperandam pos-  
 sessionem ( quia harum personarum de-  
 fensio ad Ecclesiam cumulatim saltem  
 pertinet ) quamvis causa feudalis sit, aut  
 alia profana, aut personæ tales, quæ in  
 jure habentur miserabiles, divites essent;  
 & quamvis hodie in praxi contrarium  
 ferè ubique obrineat, juri tamen con-  
 formem nostram sententiam esse, in pos-  
 sessione negari non potest, & in casu quo  
 miserabiles hæ personæ sunt etiam pau-  
 peres, vel certè juramento interposito  
 ad contractum se observandum obliga-  
 verunt, qui cū personis talibus contraxe-  
 runt, quo in casu juramenti obligatio  
 ab Ecclesiastico Magistratu urgeri potest.  
*c. Cum Laicus 3. h. t. in 6. ob juramenti  
 scilicet religionem, cujus observatio  
 urgenda ad Ecclesiasticam Iudicem per-  
 tinet.**

## §. III.

*Coram quo Iudice conveniri pos-  
 sint Raptores, & Invasores rerum  
 Ecclesiasticarum?*

Cū tales malefactores sacrilegi ha-  
 beantur, consequenter conveniri  
 possunt velut in crimine mixti fori tam  
 coram Ecclesiastico quàm coram Sæcu-  
 lari Iudice; prout habetur in *c. Cum sit. 8.  
 h. t.* non quidem si patrimonialia tantum  
 bona Clericorum injustè invadant, quod  
 crimen sacrilegium dici non potest, sed  
 si bona Ecclesiarum, aut ipsas etiam per-  
 sonas Ecclesiasticas violent, vel sibi u-  
 surpent, sive Ecclesie & possessionem  
 bonorum ut jurium Ecclesie invadant,  
 & perturbent *c. Conquestus 16. h. t.* (cū  
 etiam hæc injusta detentio & perturbatio

sacrilegii nomine veniat) vel turbent et-  
 iam temporalem jurisdictionem ad Ec-  
 clesiam pertinentem, aut piis causis do-  
 nata rapiant &c.

## §. IV.

*De causis, aut criminibus mixtis,  
 quorum cognitio ad utrumque forum  
 Ecclesiasticum & Sæculare  
 pertinet.*

Crimina alia esse merè Ecclesiastica,  
 quæ circa materiam merè spiritua-  
 lem versantur, & ad Iudicem Ecclesiasti-  
 cum pertinent, prout est crimen hæresis  
 Simonie &c. aliæque merè civilia, quo-  
 rum punitio præcisè habetur ex jure Civili,  
 & ad Magistratum sæcularem, si Laicus  
 reus est, pertinet &c. ut est furtum &c.  
 alia mixti fori esse (in ordine ad Laicos  
 scilicet fideles, in quæstionibus facti &c.)  
 ita ut ab utroque jure puniantur, & in  
 illis cognoscendis, & puniendis locus de-  
 tur præventioni, qualia crimina sunt  
 adulterium, usura Blasphemia, per-  
 jurium, sortilegium, sacrilegium,  
 crimen falsi &c. quodsi tamen in his  
 mixti fori criminibus ab uno Iudice, qui  
 alterum prævenit, absolutus fuit, potest  
 nihilominus ab altero Iudice, si secun-  
 dum allegata & probata nocens repertus  
 fuerit, puniri; quia sententia lata in uno  
 judicio profusè separato ab altero, non  
 parit in hoc exceptionem rei judicatæ.

## §. V.

*Virum, si Clericus litiget cum Laico  
 coram Iudice seculari, his decidenda sūt  
 secundum leges, & consuetudines fori  
 Sæcularis, an Canonici?*

**D**ubiam quæstionem facit *cap. Quod  
 Clericus 9. h. t.* ubi Pontifex man-  
 dat.

dat, ut Clericorum, qui Parisiis commo-  
rantur, causæ pecuniariæ, seu civiles,  
secundum jus Canonicum decidantur.  
Hoc tamen non obstante, si Clericus  
convenit v. g. Laicum coram Judice se-  
culari, non tantum in illis, quæ pertinent  
ad ordinationem litis, sequi debet sæcu-  
laris fori leges & consuetudines, si justæ  
& rationabiles sint, sed in iis etiam, quæ  
pertinent ad causæ decisionem. Iudex  
secularis fori sui leges & statuta ac con-  
suetudines, modò rationabiles sint, &  
libertati Ecclesiasticæ non adversentur,  
observare debet. *Glossa in c. Quid Cleri-  
ci 9. h. t. V. aliquos.* Sicut enim con-  
trahentes debent fori illius condiciones  
observare, in quo contrahunt, ita etiam  
fieri debet in iudiciis, ubi quasi con-  
trahitur. Ad capit. appositum ꝛ. Pon-  
tificem ibi loqui de Clerico contra Cle-  
ricum agente coram Judice Ecclesiasti-  
co, qui sine dubio inter duos Clericos  
litigantes jus Canonicum observare de-  
bet.

#### SECTIO V.

#### De iudice competente, tum Laicorum, tum Clericorum in causis feudalibus.

##### §. I.

*Quis cognoscere possit de feudo,  
sive pertineat ad Vasallos Laicos,  
sive Clericos?*

**V**el controversia de re feudali est in-  
ter ipsos Convasallos, vel inter  
extraneum & Vasallum, vel inter Domi-  
num & Vasallum. In primo, casu si con-  
troversia sit, iudex competens inter ipsos  
convasallos de feudali re est Dominus di-

rectus feudi, etiam si alias jurisdictionem  
non habeat. *§. final. de prohib. feud. alien.  
per Tridentinum*; quod si verò Vasallo-  
rum unus asserat, se Vasallum esse, & al-  
terum Vasallum neget, hic verò Vasallum  
se asserat, neget alterum, competens Ju-  
dex erit, qui ordinarius loci Judex est.  
In secundo verò casu, si controversia sit  
inter extraneum, qui non est Vasallus, &  
Vasallum asserentem, quòd res, de qua  
controversia est, sit feudalis, ille verò ne-  
gat feudalem esse, sed esse de bonis sive  
allodialibus, iudex ordinarius Vasalli. Res  
v. g. competens erit ad litem hanc deci-  
dendam. In tertio denique casu si con-  
tentio sit de Dominio utili v. g. feudi in-  
ter ipsum Dominum feudi, & inter illum  
Vasallum, iudex competens ad tales  
controversias decidendam erunt Pater  
Curia, alii scilicet Vasalli ejusdem Do-  
mini directi, qui in eodem territorio  
feudum obtinent, in quo si um est feo-  
dum litigiosum, si lis sit decidenda secun-  
dum Leges seu consuetudines feudales.  
Et hæc intelligi debent non tantum de  
Vasallis Laicis, sed etiam de Vasallis Cle-  
ricis, qui dicto modo de re feudali con-  
veniri nonnunquam possunt coram La-  
cis, feudi Dominis, aut Curia Paro-  
cum Domini directi sit, circa rem suam  
disponere. *c. Ceterum 5. De iudiciis & 6.  
Ex Transmissa. 6. acc. Verum 7. h. t.*

##### §. II.

*In quibus præterea casibus Domi-  
nus feudi cognoscere possit causas feudales  
inter Vasallos Laicos, vel Clericos,  
& in quibus non possit?*

**Q**uòd Dominus directus feudi, com-  
petens nonnunquam Judex sit, si

lis de feudo oriatur inter Vasallos ejus Domini directi, sive Clerici hi sint, sive Laici, ut dictum, non tantum locum habent, si in judicio petitorio de proprietate feudi agatur, sed in judicio etiam possessorio, si de sola feudi possessione inter Vasallos agatur, auctore v.g. petente, ut ipse legitimus feudi possessor declaratur, quia regulariter qui est iudex competens in causa proprietatis, est etiam competens in causa possessionis *c. t. De causa posse. & propriet.* Neque possunt Vasalli, sive Clerici sive Laici sint, in causa tali feudali se subicere alteri Iudici, jurisdictionem illius in se protogando, sine consensu Domini feudi. *c. Extramissa b. h. t.* quia non tantum ratione nudi exercitii jurisdictionis, sed etiam ratione fidelitatis & specialis obedientie Domino feudi quoad res feudales subiectus est Vasallus.

Quod si tamen apud Dominum feudi iustitia obtineri nequeat, sive deinde hoc proveniat ex contumacia rei Vasalli, qui parere non vult Domino feudi, sive proveniat hoc ex negligentia Domini directi feudi, ordinarius Iudex ipsius rei adiri potest. *c. Caterum s. de judic.* & nunquam, si ipse Dominus feudi sit loci ordinarius Iudex, ipsius etiam Superior, vel in casu aliquo Ecclesiasticus etiam Iudex. Hac tamen in re circa Iudicem in causis feudalibus competentem multum potest recepta consuetudo, & specialia sepius concessa privilegia, aut legitima prescriptio, quæ attendi debet.

✠(o)✠

## §. III.

*Quis sit Iudex competens Capituli Cathedralis, sede vacante, si lis oriatur super feudo, & quis, si lis sit super jure emphyteutico?*

**I**N causa feudali, si conveniendum videatur Capitulum Cathedralis, vacante sede, coram directo Domino feudi, Imperatore v.g. vel Camera Imperiali, conveniri debet, cum enim Capitulum tale succedat in omnia jura defuncti Episcopi, & obligationes, consequenter sicuti Episcopus defunctus conveniri in tali causa coram Imperatore v.g. debuisset, ita etiam Capitulum, vacante sede, litigare tamen cum Capitulo, vacante sede, non satis tutum est, nisi Defensor Ecclesie constitutus sit, ex *Capit. final. Ne sede vacante &c.* patet. Neque tamen causa super jure emphyteutico orta ad Dominum directum emphyteusis, vel Iudicem competentem, deferri debet (cum in jure hoc expressum non sit, & casus à communi jure exorbitans ad non expressa extendendus non sit) nisi qui Dominus directus est emphyteusis, si etiam ordinarius illius loci Iudex.

## §. IV.

*An cognitio de crimine Vasalli Ecclesiastici, ob quod feudo privari mereatur, ejusque punitio pertineat ad Dominum feudi secularem, & ad quem appellandum sit in causis feudalibus?*

**D**E jure quidem certius est, quod Clericus Vasallus ob delictum commissum, propter quod feudo privandus esset, judicari, & puniri non possit, à se-

culari feudi Domino ; à quo feudum tale obtinet , ob universalem doctrinam capie. x. Clerici §. de Iudiciis ubi dicitur de omni crimine conveniendos Clericos coram Ecclesiastico Magistratu & c. 2. de foro competen. ubi prohibetur , ne ullus iudicium (secularium) Clericum per se distinguere , aut condemnare presumat ; recepta tamen in multis partibus consuetudo & praxis contrarium tenet , & seculari etiam Domino feudi concedit cognitionem & punitionem etiam Clerici Vasalli , si ob crimen commissum , feudo , quod à seculari Principe v. g. obtinet , privati debeat , ita ut executionem etiam talis sententiæ contra Clericum Vasallum concedat , modò non excedat limites nculpatæ tutelæ , in personam Clerici aliquid attendando , cum in tali feudi amittendi causa ob delictum admissum contra feudalia jura , respectu merè civili considerentur personæ etiam Ecclesiasticæ.

Appellatio autem in causis feudali- bus , si Vasallus cui jurisdictio in feudo concessa est , sententiã tulit , ad superiorem Dominum , qui feudum tale concessit , & mediatum fieri debet , sive Laicus , sive Clericus sit Vasallus , cum hic non cognoscat causam feudalem , ut Clericus , sed ut immediatus feudi Dominus , qui à superiori seculari v. g. Principe feudum hoc obtinet . Plura de his alibi .

SECTIO VI.  
De renuntiatione fori  
competentis , Prorogatione juris-  
dictionis , & recusatione Iudicis com-  
petentis.

## §. I.

De Renuntiatione iurium seu fa-  
vorum in genere.

Communis regula est , quòd quisque renuntiare possit juri suo seu privilegio in favorem proprium & privatum concessio , non autem dato in favorem publicum . Et hinc infertur primò certum esse , quòd juri naturali validè nemo renuntiare possit , cum jus naturale non privatum tantùm sed publicum spectet : quamvis enim renuntiare quis possit , ut quod decernente jure positivo ex jure naturali consequi posset , hæreditati v. g. quæ ipsi jure sanguinis & agnationis defertur , quò minus tamen sic sanguine junctus , renuntiare non potest . Secundo infertur , quòd nemo renuntiare potest juri Divino præcipienti aut prohibenti aliquid , cum neque hoc præceptum , aut talis prohibitio privatum tantùm sed publicum spectet . Tertiò , infertur , quòd juri positivo humano , Civili & Ecclesiastico subinde renuntiare possit , subinde non possit ; & primò quidem si jus humanum certam formam & substantialem solemnitatem , in actu aliquo necessario observandam , præscribat , renuntiare illi non potest , cum publicum bonum in hac forma præscribendo observetur : & universim , si quid statutum sit ob publicum favorem , seu utilitatem , privatâ conventionem renuntiare illi non potest , cum bonum publicum mutari non possit privatorum pactis . Secundo si jus humanum introductum sit in plerumque favorem æque principaliter , non potest unus sine consensu aliorum , & cum eorum præjudicio renuntiare , si

commodum renuntiantis sit inseparabile à commodis aliorum; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbati debet *juxta reg. 29. in 6.* Si verò pro privata tantum persona, & in privato tantum commodum privilegium v. g. aliquod principaliter alicui concessum sit, potest illi renuntiare, cui favor hic privatus factus est, nisi privilegium tale concessum fuisset ob imbecillitatem ætatis, aut æque principaliter privilegium tale in favorem hujus & in odium alterius concessum fuisset, aut renuntiatio talis ad peccatum induceret, & contra bonos mores esset, quibus in casibus renuntiatio non valet ob pessimas sequelas, quas secum traheret.

## §. II.

## De renuntiatione privilegii fori Ecclesiastici, quod competit Clericis.

Quod Clerici nec inviti seu coacti, nec volentes renuntiare possint privilegio fori Ecclesiastici, & consentire in Judicem Laicum, ut coram illo conveniantur, etiam si juraverint, hunc se judicem non subter fugituro, constat *ex c. Si diligenti 12. h. 2.* cum hoc privilegium non privatum tantum unius Clerici favorem concernat, sed toti Collegio Clericorum propter publicam honestatem & rotius ordinis Clericalis honorem concessum sit; & juramentum, quod est contra publicam utilitatem, non teneat. Volunt autem SS. Canones adeò sanctè hoc observari, ut in *relato capis. si Diligenti*, certas pœnas, amissionis causæ v. g. vel amissionis illius, quod evicit, quod habeatur à communione ex-

traneus &c. statuant in eos, qui taliter renuntiant, & seculari judici se subjiciunt.

## §. III.

## De Prorogatione jurisdictionis in Judicem non suum seu alienum.

Prorogare jurisdictionem, aliud non est, quam spontè alicui Judici se subjicere in ordine ad causam aliquam judicandam, ad quam aliàs de jure ordinario jurisdictionem non habet.

Fit hæc prorogatio 4. modis. De persona in personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum, & plura ad eam legitime faciendam requiruntur. Primum ut ille, cui partes litigantes se subjiciunt, & in quem consequenter fit prorogatio, habeat jurisdictionem aliquam, alioquin partes non tam prorogarent jurisdictionem in se, quam novam conferrent, cum tamen consensus privatorum non possit facere judicem. Secundò, ut habeat aliunde jurisdictionem ordinariam neque enim jurisdicção delegata ad certam causam aut personam prorogari potest ad aliam personam aut causam, uti ex dictis jam patet, & *ex c. P. & G. 40. de offic. & potest. judi. deleg. juncta Gloss. V. Prorogatio nulla.*

Tercio requiritur, ut habeat similem jurisdictionem illi, quæ prorogatur, spiritualem scilicet, si ad spirituales causas cognoscendam fit prorogatio, criminalem, si fiat ad criminalem causam decidendam prorogatio &c. Quarto requiritur, ut fiat à partibus liberè & voluntariè se subjicientibus, saltem tacito consensu, & ipso facto. & Quintò denique requiritur, ut ea fiat lege non prohibente, sed permittente, qualiter tantum permittunt

mittunt leges, ut prorogatio fiat ad iudices sub eodem Principe constitutos. Neq; tamen in omnibus casibus semper concessa est hæc in iudicem non suum prorogandi licentia, sic primò in causa feudali non potest vasallus invito feudi Domino in iudicem non suum prorogare jurisdictionem. Secundò non admittitur prorogatio, quando super crimine proceditur, non per viam accusationis, sed ex merito officio iudicis per inquisitionem. Tertio non potest fieri hæc prorogatio in iudicem non suum in causa appellationis. Quarto, non possunt Laici in causis Ecclesiasticis matrimonialibus v. g. utris, decimis, &c. prorogare jurisdictionem in iudicem non suum, sine consensu proprii Episcopi. Et quinto denique fieri non potest prorogatio jurisdictionis in Sacramento Pœnitentiæ, ut extra articulum mortis à peccatis mortalibus absolvi quis possit ab alieno Sacerdote sine licentia (saltem tacita) proprii Sacerdotis.

## §. IV.

*An, & qualiter Clerici, seu persona Ecclesiastica prorogare possint jurisdictionem alieni iudicis?*

Clerici non possunt se subicere alieno iudici, nec Metropolitano quidem, sine consensu & licentia sui Ordinarii, seu proprii Episcopi Diœcesani, & cum hac quidem licentia alii se subicere non possunt, quàm Ecclesiastico, ut constat ex c. *Significasti* 18. h. t. hanc subordinationem exigente regimine Ecclesiastico; & quamvis juxta præxin receptam, Episcopus delegare non possit Laico causas pecuniarias, & Civiles Clericorum, ipsi

tamen Clerici non possunt jurisdictionem Laici iudicis in se prorogare, cum licentia Ordinarii, cum aliud sit delegare, aliud licentiam dare ad jurisdictionem prorogandam, delegans enim suam in has partes retinet jurisdictionem, & delegatus hujus delegantis auctoritate & nomine agit, non autem consentiens in prorogationem iudicis alieni, quæ suam in alium quasi transferri permittit jurisdictionem, & iudex prorogatus proprio nomine & auctoritate iudicat, quod fieri in causis Laicorum à Laico non potest: possunt tamen exempti à jurisdictione Episcopi Regulares v. g. cum actus voluntariæ jurisdictionis absolute dispensationem, &c. etiam sine consensu Pontificis, cedere privilegio exemptionis, & Episcopo Diœcesano se subicere, cum in tali casu videatur sufficere benignè præsumptus consensus Pontificis ob favorem Ordinis, cui exemptio talis facta est; nisi facultas absolventis v. g. non esset penes Prælatum immediatum, sed propter reservationem v. g. alia Ordinibus statutata penes Superiorem ordinem datum.

## §. V.

*An, & ob quas causas, & quando iudex aliquis competens recusari possit?*

Quidquid sit de jure Civili, quod inter Delegatum & ordinarium iudicem in ordine ad recusatorem effectum aliquod facit, de jure Canonico non minus Ordinarius, quàm Delegatus tanquam suspectus recusari potest, in Superioriorem aliquem habeat c. *Si quis contra* 4. c. *Lices* 10. h. t. ita tamen ut causa

recusationis specificè exprimenda sit in libello recusationis, & coram electis arbitris probanda, ad multas si fraudes cavendas. Sunt autem plures causæ ad reculandum judicem in jure approbatæ; si est v.g. probabilis suspicio de minus recta affectione judicis erga partem, vel de impetritia illius, si judex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante judex etiam judicalem aliquam controversiam habeat; si sanguine, vel etiam amicitia sit valde conjunctus parti litiganti; vel si Dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, &c. vel similem controversiam cum alio in alio judicio judex habeat. Est autem hæc judicis recusatio ante litem contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litem contestationem nova causa recusationis superveniat, aut juret pars recusans, ad suam primam notitiam post litem contestationem causam illam pervenisse.

## §. VI.

*Quis, & qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debeat, & quis sit effectus recusationis?*

Judex si ut suspectus recusetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multo magis talis habetur in causa accessoria) nisi notoriè & indubitatè frivola sit, sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad Superiorem, vel alii personæ idoneæ & non suspectæ committi ex consensu partium, vel ex communi utriusque partis consensu arbitri eligi debent, qui de causa tali recusa-

*Pirhing, Compend.*

tionis cognoscant c. *Suspicionis* 29. *De off. & potest. jud. deleg. & c. Cum speciali* 61. *de appell.* Interim tamen per reculationem talem manet suspensa recusati judicis jurisdictio, & in causa coram se prolata ad ulteriorem non potest procedere.

## SECTIO VII.

*De citatione ad forum, seu tribunal competens.*

## §. I.

*Quid, & quotplex sit citatio, & quam ad illius substantiam requirantur?*

Citatio est actus judicialis, quo is, quem in judicio sisti oportet, judicis mandato legitimè vocatur in judicium, juris experiundi causâ, quæ usque adeo necessaria est ad valorem judicii, ut actus judiciarius contra citatum celebratus regulariter nullus sit ipso jure, cum citatio ad defensionem spectet, quæ est juris naturalis; & hinc rectè etiam dicitur judicium à citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam & privatam; publica fit vel per proclamationem, seu vocem præconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, vel vas Ecclesiarum, Curiarum, vel portarum Civitatis affixum, qui tamen modus citandi non semper & in omni casu permittitur. Privata citatio est, quæ fit privatim in personam citandi; & hæc duplex est, verbalis alia, quando Reus per nuntium vivâ voce coram, & in faciem in judicium vocatur; vel saltem ad domum solitæ habitationis, ubi reperiri non potest,

Kk

test,

test, clarâ adeò voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personæ per litteras submissas citatur. Alia realis est, quæ fit per captivitatem & apprehensionem personæ, ut ad Iudicem adducatur, quæ realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quæ citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen ut inter singula citationum edicta certum & iustum temporis intervallum, decem scilicet dies intereesserint. Alia dicitur peremptoria, quæ pro tribus distinctis habetur, si in citatione adijciatur terminus, peremptoriè, & tantum temporis continet, quantum alix tres citationes diverso tempore factæ includerent. Et demum citatio alia juris est, quomodo ipsum jus statuit tempus, intra quod se sistere quis debeat (quæ citatio, etiamsi jus terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est) alia hominis, cum quis Iudicis mandato in jus vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primò, ut exprimat nomen & cognomen Iudicis citantis, ut citatus noscere possit, competens ille Iudex sit, vel non sit; Delegatus sit, qui una cum citatione copiam suæ delegationis transmittere debet, an Ordinarius. Secundò requiritur, ut exprimat Rei, qui citatur nomen, & cognomen, vel saltem universitas illa, quæ citatur, ut noverit citandus, quòd ad ipsum citatio pertineat. Tertio requiritur, ut contineat nomen & cognomen Actoris, ut noverit Reus non ex officio Iudicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quarto requiritur, ut in

citatione exprimat causa, saltem innere, ob quam quis citatur, ut instruat scilicet reus, super quo conveniatur, deliberare possit, utrum litigare velit. Quintò requiritur, ut locus iudicij tribunal apponatur (nisi aliunde constet de tali loco) ut sciat scilicet citatus, ante territorij fines egrediatur Iudex, & tunc sibi locus sit, ad quem citatur. Sextò denique requiritur, ut dies certus terminus congruus comparandi in citatione exprimat, ut noverit citatus, quod dies ad quam citatur, sit iudicis &c.

## §. II.

*Quot, & quæ sint partes citationis?*

**Q**Uilibet citatio tres partes habet. Notario diligenter actis litteris mandandas. Primò mandatum iudicis, sine quo non valet citatio. Secundò ut nuntius citationem sibi demandatam exponatur in faciem citandi, si reperiri non possit, vel ad illius domum, si aliter reperiri non possit. Tertio ut nuntius factæ citationis factæ relationem Iudici, quæ Notario in acta referri debeat, ut de citatione facta constet, vel si Iudex præsens non adsit, soli Notario, cui relationis etiam creditur, & plena fides adhibetur præsertim in civilibus.

## §. III.

*A quo Iudice citatio fieri debeat, & qui citari debeant, & quis sit finis, & effectus citationis?*

**Q**Uilibet Iudex competens, si Ordinarius ille sit, sive delegatus competere potest, cum sine citatione iudicij



dictionem suam exercere non possit, ita tamen, ut qui delegatam tantum jurisdictionem habet, verbaliter tantum vel in scriptis citare possit, non autem realiter per capturam, aut per Edictum, nisi quoad Edictum sit delegatus supremi Principis, aut specialem commissionem etiam quoad capturam habeat. Et quamvis citatus privilegium ab exemptione hujus Iudicis habere possit, comparere tamen debet, & privilegium suum exhibere, ne contumax censeatur, nisi privilegium illius notorium esset, ut est privilegium Clericorum contra Laicum judicem. Citari autem debent, & possunt omnes, quorum interest causa, quæ in judicio agitur, sive qui ex actu aliquo, qui fit in judicio, laedi possunt, nisi tali judicio per se præsentis sint, aut alia aliqua causa interveniat, ob quam omitti potest citatio, uti videre est apud

Civilistas. Finis autem citationis est, ut Reus ad petitionem Actoris in judicio compareat, & ad defensionem se reus parare possit. Effectus denique citationis sunt, primò quòd obliget citatum ad comparandum, nisi justà causà excusetur, Secundò quòd inducat præventionem respectu illius causæ, respectu cujus citatio facta est, Tertio quòd perpetuet jurisdictionem Delegati, postquam ab hoc emanavit, etiamsi nondum ad citati notitiam pervenerit, ita ut morte Delegantis non expiret. Quarto quòd inducat vitium litigiosi, & litis pendentiam, ita ut nulla sit rei talis litigiosæ alienatio. Et quintò denique, quòd interruptat odiosam præscriptionem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum; ad quam interruptionem etiam unica, & simplex citatio sufficit.

### TITVLVS III.

#### DE LIBELLI OBLATIONE.

##### §. I.

*Quid, & quotuplex sit Libellus, & an necessariò cuique offerendus sit?*

POST legitimam citationem offertur Iudici libellus reo tradendus, ut hic sciat, & videat, quid ab ipso petatur, & an contendere velit. Est enim libellus prout hoc loco sumitur, nihil aliud, quam editio actionis futuræ litis speciem continens. Debet autem hic libellus in scripto offerri, ad multas fraudes cavendas

*c. i. h. i. debet esse brevis, tantum necessaria & utilia continens; debet esse perspicuus & clarus, & ideo non facile admittitur libellus alter novus, nisi propter probabile dubium altera nova petitio videatur admittenda, ad eundem fortassis finem contendens debet esse ordinatus, tria continens, Primò scilicet narrationem facti, Secundò medium concludendi sive justam causam petendi, Tertio denique ipsam petitionem, & quamvis principaliter & primò Iudici sit offerendus*

K k 2

cus libellus, hujus tamen copia saltem communicari debet etiam à iudice parti adversæ, ob rationes sæpius jam allatas.

Est autem libellus duplex, Conventionalis seu postulationis, qui in causis civilibus offertur, quâ rem nobis debitam petimus; & querimonialis seu acculationis, qui in causis criminalibus portigitur. Et quamvis olim in causis civilibus de jure civili antiquo necessarius non fuerit libellus, & hodie etiam in multis locis consuetudo obtineat, ut in scripto libellus necessarius non sit, vivâ voce suas petitiones proferentibus coram Notario, Actore & Reo, de scripto tamen jure hodierno ad substantiam processûs judicialis ordinati requiritur libelli oblatio, uti colligitur ex *tit. c. I. h. t.*

### §. II.

*Quomodo formandus sit Libellus, sive qua in eo contineri debeant?*

**R**ectissime formabitur Libellus conventionalis, si sit quasi syllogismus aliquis practicus & judicialis, qui tres partes contineat, medium scilicet sive causam petendi, locum majoris, narrationem facti, locum minoris, & deductam exinde petitionem, seu conclusionem, ex utraque priori propositione desumptam. Sicuti autem causa sive medium concludendi duplex est, remotum, sive titulus, ex quo res aliqua debetur v. g. & proximum, quod est jus v. g. competens, & obligatio alterius &c. ita in quolibet libello exprimenda est causa petendi, proxima sive remota: & in actione quidem reali, quando agitur ad rem aliquam, sive jus aliquod sibi vindicandum,

sufficit exprimere causam proximam, peto v. g. hanc rem (non tantum petendo aliquid in consilio, sed rem determinando, quæ petitur) mihi adjudicari, quia Dominus illius sum, ita ut de titulo, ratione cujus dominus hujus rei habeo, quæ causa remota dicitur, nihil necesse sit mentionem facere, nisi jus commune resistat Actori, in actione verò personali explicanda est causa remota, sive titulus, vi cujus rem quam peto, mihi debetur. *Dilectus h. t.* Peto hunc fundum v. g. mihi adjudicari, quia legitime emi eum &c. ex his rebus expressis satis colligitur, non tantum, quod fundamento petam aliquid, sed satis apparet etiam, quæ actio intenteur. In libello tamen criminali non requiritur conclusio seu petitio, sed sufficit facti narratio, ut crimen homicidii v. g. noscatur, adjunctis circumstantiis petitiæ, loci temporis. &c. neque etiam in his criminalibus criminaliter actis petit aliquid dari sibi petit, sed de poena à jure statuta iudex concludere debet ex officio.

### §. III.

*De mutatione, & emendatione Libelli, ejusque effectu.*

**D**iscrimen est inter rem mutari, & rem emendari libellum. Mutari libellus dicitur, cum actio proposita vel causa petendi in eo expressa mutatur, & alia proponitur. Emendari dicitur, quando vitium aliquod ad substantiam Libelli nihil pertinens vel obscuritas aliqua tollitur, aut additur aliquid, immutata libelli substantiâ.

Mutare libellum Actor licetè potest antelitis contestationem, tam in Civilibus quam

quàm criminalibus, cùm iudicium nondum propriè ceptum sit, & pœnitere liceat, modò reo novæ dilationes concedantur, & de damno, si quod passus est ratione mutationis, talis reddatur securus: post litem verò contestatam, mutare non potest libellum Actor, nisi inchoatâ novâ instantiâ novum libellum offerre velit cum refusione expensarum *juxta c. Examinata 15. de judiciis*. Si quid tamen obscurius in libello dictum declarare velit, concessum hoc illi est tam ante, quàm post litem contestationem, usque ad conclusionem causæ, cùm per talem accidentalem emendationem cau-

sæ status, ad quem per litem contestationem quasi contractum est, nihil immutetur. Effectus autem libelli oblatus est, quòd secundùm petitionem in libello factam sit ferenda sententia, & quamvis si nihil intersit rei conventi, ut lis cepta perficiatur, à lite proseguenda desistere possit actor, etiam post litem contestationem, si tamen intersit rei conventi, ob expensas v. g. factas, ut lis perficiatur, debet eam proseguere Actor, & ad finem perducere, ita ut in contumaciam etiam condemnari possit, si litem proseguere nolit.

## T I T U L U S IV.

## DE MUTUIS PETITIONIBUS.

## §. I.

*Quæ sint, & dicantur mutue petitiones, & inter quas personas locum habeant?*

**M**utue petitiones rectè dicuntur, conventio ex parte Actoris & reconventio ex parte rei, si scilicet petente rem aliquam actore coram Iudice à reo, reus hic in eodem iudicio coram eodem Iudice, vicissim aliquid ab Actore petit, ita ut mutue hæ petitiones aliud non sint, quàm duæ petitiones ex parte litigantium factæ, Rei quidem conventi, Actoris verò reconventi coram eodem Iudice, & in eodem iudicio, quæ mutue petitiones (observatis tamen observandis) licitæ sunt, etiam si per se Actoris reconventi competens Iudex non

sit, coram quo reus conveniri debuit, æquum enim est, ut quem in sua causa conventi rei elegit Iudicem actor, eum contra se reconventum patiat. Soli autem reo convento ex personis litigantibus reconventio conceditur, ne si actori etiam reconventio concedatur, in infinitum circa mutuas has petitiones abeat. *c. 2. de rescript. in 6.* & quia reconventio rationem actionis habet, hinc nulli conceditur, nisi qui in iudicio agere potest.

## §. II.

*Coram quo Iudice fieri possit reconventio?*

**C**oram quo Iudice de causa principali legitime conventus est Reus, coram eodem reconveniri à Reo potest Actor, sive ordinarius hic sit rei conventi

K k 3

Iudex,

Iudex, siue sit delegatus, si ad petitionem actoris, quod plerumque fit, hic impetratus fuit, ob rationem supra allatam, quæ cum non urgeat, casu quo ex utriusque partis consensu, vel ex solo Principis v.g. arbitrio datus est Iudex delegatus, hinc coram tali Delegate reconveniri non potest actor, nisi in rescripto delegationis expressè etiam concessa fuisset reconventio. Simili modo coram Iudice prorogato, quem elegit contra reum actor, reconveniri hic à reo poterit, modò causa, circa quam fit reconventio, non excedat Iudicis prorogati limites, vel fiat tantùm reconventio ratione majoris summæ, de qua aliàs Iudex prorogatus iudicare quidem non potest, cum possit tamen de minore summa.

## §. III.

*An Laicus conventus à Clerico coram Iudice seculari, vicissim reconvenire possit Clericum coram eodem Iudice?*

Quòd in causa spirituali, aut annexa reconveniri non possit Clericus coram seculari Iudice, coram quo Laicum convenit, neque in causa criminali, siue criminaliter siue civiliter hæc tractetur, certissimi juris est, cum Iudex secularis de talibus causis nec incidenter cognoscere possit *c. Tuam 3. De ord. cognit. & c. At si Clerici. 4. De Iudic.* In causa Civili verò & merè temporali, quòd Clericus coram Iudice seculari reconveniri non possit, de iure quidem communi verius est, prout videre est in pluribus textibus *causa 11. q. 1.* & absolutè Clerici nec volentes, nec inviti, etiam in causa Civili seculari Iudici cum præiudicio fori

privilegii se subicere possint *c. Si diligens 12. De foro competen.* recepta tamen in pluribus locis praxis, quòd in causa mota Civili Clerici coram Iudice seculari reconveniantur, damnari non debet, cum dici possit, tacitum intervenire consensum Pontificis in hac consuetudine plurimorum Regnorum immemoriali, &c.

## §. IV.

*In quibus causis habeat locum reconventio, vel non habeat?*

In genere loquendo, & regulariter in omnibus causis reconventio locum habet, nisi expressè reperiat prohibita, modò iudex cognoscere causam illam reconventionis possit. Prohibetur autem expressè reconventio in causis criminalibus, ut docet *Glossa communiter recepta in c. 2. V. super suis h. r.* siue super patris, siue super minore crimine fiat reconventio, cum crimina non objectione aut relatione criminum, sed innocentia sua reus purgare debeat, nisi iudex utriusque partis ordinarius iudex esset, qui extra reconventionem utrumq; punire potest, aut conventus reus majus aliquod actori crimine objiciat, vel suam aut suorum injuriam persequatur, vel de crimine tantùm conventus civiliter actorem etiam de crimine civiliter, reconveniat, coram iudice utriusque competente. Et quamvis criminaliter conventus, pendente eodem iudicio actorem in causa civili reconvenire non possit, ne videantur delicta manere impunita, si ad civilem talem actionem distrahi possent, potest tamen reus conventus civiliter, pendente iudicio civili, actorem reconvenire criminaliter, cum ratio allata hæc non urgeat. Secundò in causa

Causis appellationum non datur reconventioni locus, ubi iudex ab actore non spontè eligitur, sed necessariò ob gravamen seu injuriam sibi factam aditur. Tertio spoliatus agens iudicio possessorio non potest reconveniri à Reo iudicio petitorio. Quarto non admittitur reconventio in causis executionis, quæ paratam habere debent executionem in bonis debitoris. Quintò locum non habet reconventio, si impleatur officium iudicis extrajudicialiter. Vide plura de his & aliis similibus alibi, vel apud Civilistas.

## §. V.

Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum?

Proponi debet reconventio in exordio litis statim, ante litis contestationem, vel statim post illam, antequam ulterius progrediatur, uti habetur in *Amben. De executoribus cap. 2. §. Sancimus 1. collat. 7. junctà Gloss. V. mox.* Et quamvis de jure Canonico reconventio fieri possit etiam in progressu litis, usque ad sententiam definitivam, uti patet ex *c. Dispensia. 3. §. Reus quoque. De rescript. in 6.* non tamen fieri potest in progressu litis cum eo privilegio, ut pari modo causæ conventionis, & reconventionis tractentur, sed unà expedità ad alteram transitu fieri debet; in aliis enim casibus, si debito tempore & modo reconventio apud eundem iudicem, etiam delegatum interposita fuit, potest compellere iudex reconventum actorem

ad respondendum reconventioni, ut simul utraq; causa, tam conventionis, quàm reconventionis expediatur. *c. Ex literis 1. h. t.* (nisi priùs de causa una liqueat, aut reconveniens ultrò cedat favori suo, aut omnino deserat reconventionem) ita tamen, ut semper præcedentiam habeat conventionis cause, juxta illud, qui prior appellat, prior agit, *l. Qui appellat. 29. junctà Gloss. V. Qui appellat. ff. De iudic.*

Modus autem procedendi, qui observatur in causa conventionis, (præsertim vi rescripti alicujus impetrati) observari etiam debet in causa reconventionis, prout sumitur ex *c. Prudentiam. 2. h. t.* actoris enim & rei, ut ait Pontifex, in tali casu eadem est conditio, & jure eodem utique censeri debet, & hinc clausula posita in rescripto conventionis, ut procedatur v. g. appellatione remotà observari etiam debet in causa reconventionis, (etsi de hoc in rescripto delegationis nulla facta sit expressa mentio) & quidem non solum si ad instantiam actoris rescriptum impetratum est, ut vult *Gloss. fin. in c. 2. h. t.* sed etiam, si motu proprio in causa conventionis emanavit, ob eandem scilicet in utroque casu rationem; & si Reus vi rescripti impetrati ab actore tractus fuit ultra duas diætas extra Diocæsin, & ibi conventus, potest eodem favore fruens, ibidem reconvenire actorem: & si nolit actor respondere ad libellum reconventionis, nec tenebitur reus respondere ad libellum conventionis, &c.

TITVLVS V.  
DE LITIS CONTESTATIONE.

## §. I.

*Quid sit litis contestatio, seu in quo consistat, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Iudicii substantiam?*

**L**itis contestatio, quæ plerùmque requiritur ad substantiam iudicii ordinarii, rectè describitur, quòd sit fundamentum iudicii (proprie dicti) per petitionem (actoris) in iure propositam, & congruam (rei) responsum animo litigandi factam (prout sumitur ex *c. unico h. t. & ex c. Dudum. 54. §. Licet autem. De elect.*) juxta formam & praxin illius tribunalis factam; ita tamen, ut per solam facti narrationem, & particulares petitiones, quæ fiunt ab actore, absque petitione nulla fiat litis contestatio; potest autem ex parte rei fieri litis contestatio, non tamen negativè, sive negando simpliciter narrata, & petita ab actore, prout narratur, & petuntur, sed etiam affirmativè, ira tamen, ut appareat, hæc fieri non animo cedendi liti, sed animo litigandi, qui facile præsumitur, quando narrata quædam conceduntur, petita tamen negantur, ad quem finem in iudicio sua petere censetur Actor, & negare ea censetur Reus, nisi major expressio ex particulari tribunalis alicujus statuto aut consuetudine requireretur, aut expressè protestetur Reus, se non animo litigandi, sed informandi tantùm Iudicem, petita aut narrata negare.

## §. II.

*De positionibus, & articulis, ac responsionibus, & quomodo à litis contestatione differant?*

**P**ositiones, quæ regulariter super causa principali post litis contestationem fiunt, sunt breves quædam narrationes, aut assertiones alicujus facti in causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi, ut noverit actor, ab onere probandi hoc per confessionem ultroneam adversarii se liberum. Debent autem positiones tales esse breves, claræ, & nihil superfluum, aut ad rem non faciens contineri, rejicienda à iudice, si sint impertinentes, & continere tantùm ea, quæ sunt facti non autem quæ sunt juris, cum jus tantum certitudinem non à responso rei converti, sed ex se habeat: & ordinariè in iudicio ordinario sunt in scriptis offerenda medio juramento, quod juramentum dandorum dicitur, quo jurat actor, non animo calumniandi, sed juris lituendi causâ, positiones tales exhibere. Ex his positionibus, si quæ à reo negentur, fiunt articuli probatoriales, si ad quos probandos se actor offerre debet, cum enim responsum ad positiones debeant esse simplices, puræ, & absolute ad rem pertinentes, & claræ, per verbum credo, aut non credo, &c. ut actor sciat, quid sibi probandum sit, consequenter ad lites abbreviandas articulo-

rum talium plurimus usus est. In quorum locum, si per viam inquisitionis ex officio à Iudice procedatur, certa quaedam Capitula proponuntur, super quibus suspectus est reus, & infamatus, ut ad ea respondeat.

Distinguantur autem positiones istæ & articuli à litis contestatione, quòd in his articulis & positionibus nihil à Reo petatur, sicuti in litis contestatione & libello: & quamvis etiam à Iudice interrogationes fieri possent, ab his tamen positiones & articuli differunt, quòd positiones tales ab actore assertivè fiant, interrogatio v. g. à Iudice interrogativè.

## §. III.

*An, & quomodo per oppositam exceptionem inducatur, vel impediat litis contestatio?*

Quòd per exceptionem dilatoriam, quæ Iudex tanquam incompetens recusatur, aut quæ actori opponitur, quòd non possit stare in iudicio, litis contestatio non inducatur, certum est, quia tales exceptiones non animo litigandi, sed potius animo licem declinandæ opponuntur: sed neque per oppositionem exceptionis peremptoriæ inducitur litis contestatio, prout expressè deciditur in *l. Si oblatio 2. h. t. in 6.* Cùm in tali casu, qui taliter excipit, non respondeat ad actoris petitionem, cùm tamen litis contestatio per talem responsum fieri de-

beat. Negari tamen non potest, quòd per exceptiones dilatorias impediatur quidem, & retardetur litis contestatio, nisi per non oppositas illas ante litis contestationem, videatur his pars litigans renuntiare, aut Iudicis jurisdictionem in se prorogare, per exceptionem tamen peremptoriam ante litis contestationem objectam, non impeditur litis contestatio, nisi de re iudicata, aut lite finita reus excipiat, *l. c. Exception. r. h. t. in 6.* vel de juramento à parte parti delato, aut factam legitimam inter partes transactionem.

## §. IV.

*De effectibus litis contestationis.*

Plures sunt illius effectus. Primò Penim per litis contestationem partes litigantes ex mutuo consensu ad hanc instantiam iudicii obligantur, ut neutra pars alteram invitam à iudicio recedere possit. Secundò, Iudex recusari non potest post litis contestationem, nisi ex nova suspicionis causa superveniente. Tertio, non possunt amplius post litis contestationem opponi exceptiones fori declinatoriæ, aut similes dilatoriæ, quibus renuntiatum videtur. Quarto interruptitur per litis contestationem præscriptio longi temporis. Quintò, revocari non potest post litis contestationem Procurator, nec libellus mutari, &c. Vide plura apud *Auct. Method. hic ex jure Civili petita.*



## TITVLVS VI.

UT LITE NON CONTESTATA, NON  
PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM,  
VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

**R**egula generalis hęc traditur, quod ante lites contestationem nec ad testium receptionem (super causâ principali scilicet) nec ad sententiam definitivam ferendam, quâ causâ principalis finiatur (neque enim de interlocutoriis sententiis sermo est) definiti debeat, quia tamen suas hęc regula patitur exceptiones, ideo in specie examinanda illa magis. Sit ergo

## §. I.

*De nonnullis casibus in specie, & jure expressis, in quibus lite non contestata testes recipi non debent, vel non ferri sententia definitiva.*

**P**rimò in causis matrimonialibus, si agatur de fœdere, & vinculo, ac valore matrimonii, ordo judiciarius exactè servandus non est, sed procedendum summarè, & celeriter negotium expediendum; si tamen de crimine tantùm agatur, adulterii v. g. ad separationem thori, testes recipi non debent, aut sententia definitiva ferri ante lites contestationem, etiam si Reus sit contumax, & excommunicari possit *c. Ad hac 1. & c. Accedens 4. h. t.* cum in causa hac odiosa, quę tendit ad thori dissolutionem manente vinculo, rigidus ordo servandus sit. Secundò non potest procedi ad testium receptionem, aut sententiam de-

finitivam contra contumacem, in causa principali restitutionis, si lis contestata non fuerit, *c. Accedens 2. h. t.* quare excommunicari possit: totus enim processus in tali casu nullus & irritus est, si non contestata, quę est fundamentum validi iudicis ordinarii. Tertio, quare contra contumaciter absentem, testes recipi possunt ante lites contestationem, nec sententia definitiva super causa principali ferri, potest tamen actor, si reus contumaciter absens sit, in possessionem rei petite, custodię causam imponere, si verò res talis sit, de qua litigatur, dicto modo in possessionem mitti non possit actor, per censuram Ecclesiasticam compelli debet reus, ut compareat, & litem contestetur, *c. Tunc 3. h. t.* ubi contumacia reo tali prodest. Si actor post oblatum libellum, ante lites contestationem, contumaciter se absteret, nec ad instantiam Rei citatus compareat, audiendus Reus est, & ipsius defensiones, ac ferenda sententia definitiva, etiam si lis contestata non fuerit, ut nocens scilicet propter contumaciam actoris, qui liberè ad iudicium provocavit, patiatur.



## §. II.

De pluribus Casibus exceptis, quibus lite non contestata, testes recipi possunt, vel etiam interdum ad sententiam definitivam procedi potest.

Primo si periculum in mora sit, quia testes sunt senes, vel valetudinarii, aut ex alia causa mors, aut diuturna absentia illius timetur, vel periculum est, ne testes rei gesta obliviscantur, possunt recipi testes, si civiliter tantum agatur) ne veritas scilicet occultetur, & probationis copia subtrahatur) quamvis lis contestata nondum fuerit. *c. Quoniam §. h. t.* non quidem, ut statim, si reus citatus, non possit, vel non possit comparere, ad definitivam sententiam procedatur, sed asserentur attestaciones tales, donec reus conveniri possit (si citari non possit) & ipsi ad defendendum exhibeantur (nisi in facto notorio, non ex juris necessitate ad cautelam tantum maiorem auditi testes fuissent) saltem intra

annum ab initio utilem, in progressu vero continuum à tempore, quo poterat conveniri, numerandum, ut ne videatur fraus aliqua in testium taliter facta receptione intervenisse. Hæc autem intelligi debent de testibus ex parte Actoris; Reus enim tam in causis civilibus quam in criminalibus testes suos producere potest, quodocumque vult, pro hac defensione, & petitione, ut ad perpetuam rei memoriam admittantur, ratione incertitudinis scilicet, ne probationes pro innocentia ejus illi pereant, nisi exceptio à reo opponenda, vim actionis habeat, uti est exceptio de non numerata pecunia intra annum opposita. Possunt tamen in pluribus adhuc casibus, ob contumaciam rei absentis recipi testes, & ferri definitiva sententia, ante litis contestationem, de quibus vide *c. ult. h. t.* Ex quo capitulo etiam habetur modus procedendi contra ream absentem contumaciter, si conveniatur actione reali, vel personali.

## TITVLVS VII.

## DE IURAMENTO CALUMNIÆ.

Iuramentum Calumniæ est illud, quo partes litigantes jurant, quod in iudicio tam agendo, quam excipiendo & defendendo absque fraude & calumnia versari velint, omniâque bonâ fide peragere. Plura censetur continere capitula hoc iuramentum his communiter versiculis comprehensa.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videatur,  
Et si queretur, verum non inficietur,  
Nil promittatur, nec falsa probatio detur,  
Ut lis tardetur, dilatio nulla petatur.

Ll z

Et

Et hinc à juramento de veritate dicenda differt, quòd illud præstetur in causis civilibus & criminalibus, juramentum autem veritatis in spiritualibus, & his annexis; quòd juramentum calumnie sit juramentum credulitatis, alterum verò de veritate, sit juramentum scientie, (saltem de jure, quidquid sit de praxi & consuetudine, juxta quam sufficit, ad hoc juramentum, credere, quòd verum sit, quòd dicit) & quòd denique juramentum calumnie plura contineat, juramentum verò veritatis tantùm sit de veritate dicenda. A juramento autem malitiæ differt, quòd juramentum calumnie regulariter semel tantùm in causa tota præstetur post litem contestatam, malitiæ verò juramentum toties exigere possit, quoties contra litigantem partem est præsumptio de exceptione v.g. malitiosè proposita &c. præstari autem necessariò debet juramentum calumnie, si ab alterutra parte exactum fuerit, non obstante appellatione, quam in causa principali pars litigans fecit, ita ut in tali casu ad substantiam processus pertineat, & nullus ille processus sit, quando exactum quidem, præstitum tamen juramentum calumnie non fuit; & quamvis tacitè remitti possit hoc juramentum calumnie, in quantum scilicet à parte non exigitur, ita ut in tali casu validus processus sit, *c. t. h. t. in 6. §. propter.* per pactum tamen expressum, aut consuetudinem introductam remitti non potest, juxta *sic c. juncta Gloss. V. Tacite Co. Carterum §. h. t.* etiamsi à Iudice tantùm ex officio exigatur, tum quod pactis privatorum favori publico, cui ad plurimas fraudes cavendas conducit juramentum

calumnie, præjudicari non potest, tum quòd consuetudo talis pluribus fraudibus materiam præbens sit irrationabilis. Potest tamen aliquid conducere hominum probitas, ut ne juramentum hoc à Iudice ex officio exigatur, & per juramentum de veritate dicenda suppleri possit.

## §. II.

*Quinam præstare debent juramentum Calumnie, vel non?*

**R**egulariter & ordinariè non tantum personæ principales in judicio litigantes tam actor scilicet quam reus (pro tamen actor, qui prius ad judicium provocavit) per se de calumnia jurare debent, etiamsi per procuratores agant sed etiam eorum hæredes, si ad hos lis, sive instantia causæ talis devolvatur, cum illi quidem in bona fide respectu hujus causæ esse potuerint, hæredes tamen malam fidem habere. Clerici verò si coram Iudice suo Ecclesiastico in propriis causis litigent, compelli possunt, ad juramentum hoc calumnie per se præstandum (cum in causis propriis censeantur melius esse informati) si autem agant in causis sanctorum Ecclesiarum, aut coram Iudice non suo, cogi non possunt, ut per se de calumnia jurent: nec possunt jurare sine consensu sui Episcopi vel Superioris sui immediati, sufficit tamen, si ad Ecclesiam bonum videbitur, præstare illud per Syndicum vel Procuratorem ad causas Ecclesiæ generaliter constitutum *c. In pertractandis §. h. t.*) per quos in judicio tales personæ, præsertim si in dignitate Ecclesiastica constitutæ sint, decentius agent, quam per se. Sufficit tamen ob

maiores reverentiam, si Episcopus per se litigem in iudicio, ut propositis tantum Evangelis, jurare debeant. Uti colligitur *ex c. ult. h. t.* ( nisi causæ arduitas plus exigat etiam respectu Episcopi ) si consuetudo aliud non jubeat; sicati autem in causis comunitatis, quæ Syndicum v. g. non habent, satis est, si principalis pars de calumnia juret, ita potest etiam procurator specialis admitti ad jurandum de calumnia, tam in animam propriam, quam in animam sui principalis, si speciale de hoc mandatum habeat, *c. Nullam 3. h. t. in 6.* ut ne huic calumniandi detur occasio, nisi ex officio iudicis parti datus sit talis procurator, quo in casu in animam propriam talis procurator jure non tenetur, cum dolo facere non censetur, quæ facit ex mandato iudicis. Imo quamvis partes litigantes principales per se de calumnia juraverint, & postea per procuratores à se constitutos causam suam prosequi velint, debent etiam isti Curi & illi, qui à procuratoribus post litem contestatam substituntur) de calumnia jurare, uti colligitur *ex c. 2. §. Procuratores h. t. in 6.* cum & ipsi calumniari possint, & consequenter per principalium iuramentum de cavenda calumnia parti litiganti, non est satis consultum: quod ipsum ob hanc causam sentiendum etiam & dicendum est, de Advocatis, qui melius sapius calumniari sciunt, & solent, quam ipsæ partes, nisi hodiernâ consuetudine hi tales à iuramento hoc excusentur, de quibus dignitas personæ meliora præsumere jubet, vel certè ne detur multorum perjuriorum occasio, vel quoddam videatur iuramentum generale, quod in Curiis plerisque usita-

tum est, dum ad munus Advocati admittuntur, aliqui sufficere.

## §. II.

*In quibus causis, quando, & quomodo præstandum sit iuramentum calumnie?*

**I**N omnibus causis, in quibus probatio est necessaria, non tantum in prima instantia, sed etiam in causa appellationis, præstandum est iuramentum calumnie, siue causæ illæ civiles sint, siue criminales (*gloss. in c. 1. V. criminaliter h. t.*) siue sint ordinariæ, siue delegatæ, siue compromissariæ, quæ coram arbitris tractantur, siue parvæ siue magnæ: & quamvis olim de jure antiquo Canonico, in causis spiritualibus aut eis annexis iuramentum calumnie nec deferri, nec recipi solebat. *c. Literas 2. h. t.* eò quod in spiritualibus præsumeretur semper Deus haberi præ oculis, nec calumniatos litigantes, & sufficere iuramentum de veritate dicenda, quia tamen postea animadvertum fuit, ut ait Pontifex *in c. 1. §. Quamvis h. t. in 6.* etiam in his causis frequenter à litigantibus calumnias irrogari, hinc statutum hoc jure novo fuit, ut in his etiam causis tam de veritate dicenda, quam de calumnia juretur.

Est autem hoc iuramentum calumnie in principio litis præstandum, statim scilicet post litem contestatam, antequam positiones ab adversario offerantur, neque tamen, ut advertunt SS. Canones, processus judiciarius erit vitiosus, si serius præstitum fuerit hoc iuramentum, cum ordo hic, ut ait Pontifex *in cit. c. 1. in 6.* non sit de substantia processûs, & ideo

exigi nonnunquam potest, etiam ante litem contestationem, super una saltem particulari dilatione v.g. quam petit litigans, & post litem contestationem, dum in causa conclusum fuerit. Ad formam juramenti de calumnia, quod attinet, præstandum quidem illud esset, propositis, aut tactis Evangelis pro diversitate jurantium, ut dictum, hodie tamen hæc solemnitas necessaria non est, modò apud astra juretur coram Judice, aut Officiali ab illo deputato. &c.

## §. IV.

*De penis recusantis præstare juramentum calumniae, & hujus effectum.*

**Q**ui recusat præstare juramentum calumniae, cum tamen præstandum esset, eam penam incurrit, ut, si actor sit, ab instituta actione cadat; si verò reus sit, pro confesso habeatur, prout deciditur in *e. ult. §. Pena verò*

*h. t.* non quidem, quasi ipso jure pœnalis incurrat, sed opus est sententiæ Judicis, uti patet ex *Auben. Principale Cod. h. t.* neque tamen hanc penam incurrit Ecclesia vel Universitas aliqua, si Syndicus aut Administrator, &c. recuset juramentum hoc calumniae præstare, cum contumacia horum non nocet principalibus; sicut nec nocet contumacia Procuratoris ad litem constitutum, si post litem contestatam in propria animam jurare nolit de calumnia, cum horum delicta non debeant adiri principalibus.

Effectus autem hujus juramenti de calumnia vitandus est, quod jurans ob hoc juramentum præstitum excusetur ab omni calumniandi suspitione, tam tacta, quam præsumptâ, nisi evidens illud sit, de qua criminaliter aceusari, & puniri potest, finita causâ principali, calumnians.

## TITVLVS VIII.

## DE DILATIONIBVS.

**D**ilatio in genere aliud non est, quam Indultum seu concessio temporis, inter quod aliquid agi potest. Alia est judicialis, alia extrajudicialis; prout ad actum aliquem judicalem agendum vel extrajudicalem conceditur, & Judicialium, de quibus hic sermo est, sunt alia: legales, quæ à lege, statuto, consuetudine, vel stylo Curia conceduntur; alia conventionales, quæ ex partium con-

ventionem seu consensu dantur; alia sunt etiam judiciales, quæ à Judice, pro tribunali sedente, causâ cognitâ, & utriusque parte præsentem, in judicio dantur, longiores, & breviores pro diversitate circumstantiarum, prout etiam Judicialium est, legales non nunquam restringere, vel prorogare. Et sicuti tres sunt judiciales partes. Prima à citatione usque ad litem contestationem inclusivè. Secunda à li-

lis contestatione usque ad sententiam definitivam exclusivè. Tertia à sententia usque ad ejus executionem inclusivè, ita dilationum etiam judicialium tres sunt species. De quibus sic

## §. I.

*De Dilationibus, quæ ante litis contestationem conceduntur.*

Sunt plures tales dilationes, primò quidem citatoriarum, quæ etiam vocantur expectatoriarum, & dantur Reo citato, absenti ad comparandum, & respondendum in iudicio petitioni Actoris, quæ quidem dilationes suâ naturâ peremptoria non sunt, sed potest unâ concessâ, altera, ac etiam tertiâ concedi, quæ tandem peremptoria est, si tamen ratio aliqua exigat, potest prima statim cum termino peremptorio fieri, ita tamen commodum tempus ad comparandum determinando, ut tribus citationibus æquivalet, vel saltem pars citata, abbreviato sine causa iusta termino, non nimium gravetur. quo in casu appellare etiam posset, *C. Dilati. l. h. t.* (ad quam excludendam consultum est, ut si dilationem abbreviet iudex, causam illius exprimat, & peremptoria citationi inferat) aut jus domum revocandi haberet in causa privata, & novas dilationes petendi, si ex loco remoto in publica causa etiam citatus fuisset. *c. Exposuit. 4. h. t.* Secundò sunt aliæ deliberatoriæ dilationes, quæ dantur Reo post oblatum libellum, ut deliberare possit, utrum litigare velit; & plerumque sunt viginti dierum deliberatoriæ hæc induciæ à die portecti libelli. Quæ tamen deliberatoriæ dilationes quandoque negari pos-

sunt, si per literas citatorias, quibus tota petitio Actoris inserta fuit, sufficienter instrui possit reus. *c. Præterea 2. c. 6. Littera 3. h. t.* Tertiò sunt aliæ recusatoriarum, seu declinatoriarum, quæ ad omnes exceptiones dilatorias opponendas dantur, priusquam fiat litis contestatio. juxta *c. Pastoralis 4. de except.* quales dilationes sunt, quæ recusant Judicem, quæ rescriptum impugnant, &c.

## §. II.

*De dilationibus, quæ post litis contestationem, vel ante sententiam definitivam, vel post illam conceduntur, & de prorogatione, atque effectibus dilationum.*

IN secunda Judicii parte post litis contestationem, & juramentum calumniæ præstitum conceduntur dilationes probatoriæ & allegatoriæ. Probatoriæ sunt, quæ dantur Actori ad positiones & articulos probatorios formandos, vel Reo ad respondendum ad eos; item ad testes vel instrumenta querenda, aut præparanda, adeoque ad probandam suam intentionem & exceptionem, Et quamvis in causis pecuniariis, aut Civilibus regulariter unica tantum detur, (nisi obstructum impedimentum à parte litigante allegatum, & probatum, tertiam vel etiam, quartam: nunquam tamen, quintam Judex indulgeat cum solemnitate legali, si ve post probatam petendi causam, & præstitum à parte petente juramentum, quod malitiosè non petat dilationem talem) in causis tamen criminalibus, ubi majus vertitur præjudicium, accusatori duæ, Reo autem tres tales dilationes ex quacunque causa, etiam nullo allegato

im-

impedimento, concedi possunt (modò abut præsumptio, quâ malitiosè tales dilationes petunt) si tamen partes tales dilationes petant. Sunt autem ordinariè trium, sex, aut novem mensium hæ dilationes, pro circumstantiarum diversitate arbitrio Judicis definiendæ, ita tamen, ut inter Actorem & Reum servetur æqualitas. Allegatoriæ vetò dilationes sunt, quæ dantur partibus, post probationes & exceptiones auditas, ad allegandum ultra quid, si velint, debet enim post auditas probationes interrogare partes Judex, num ulterius aliquid allegare velint, & ad has allegationes producendas concedendæ sunt partibus tres dilationes, quarum quælibet triginta dies sive mensem continet.

In tertia parte judicii conceduntur dilationes definitoriæ, & executoriæ. Definitoriæ sunt, quæ dantur ad causam definiendam, statuto scilicet certo tempore, quo ad audiendam sententiam partes comparere debeant; executoriæ dilationes sunt, quæ dantur Reo per sententiam condemnato, ad solutionem v.g. faciendam, quod temp<sup>o</sup> ordinariè quarta men-

sium esse solet, ita tamen ut à Judice abbreviari, aut prorogari possit, quæ quædam dilationes executoriæ in actionibus rebus aut criminalibus raro locum habent, cum statim executio in talibus casibus fiat, nisi per accidens executionem talem quid impediat. Prorogatio dilationis tum censetur fieri, quando dilationis labentis, nondum tamen elapsæ extensio, quo in casu prior dilatio adimplere dicitur, & lapsa prorogata etiam dilationis termino, nova censetur hæc dilatio, quæ concedi non potest sine aliqua causæ cognitione, utrum scilicet concedendæ dilationis sufficiens sit, &c. Prima tamen probatoria dilatio non potest prorogari, quia superest secunda, tertia, & quarta, allegato, & probato isto impedimento. Effectus dilationis præcipuus est, quòd, eâ pendente, officium Judicis conquiescat, neque quibusquam agendum sit, aut innovandum, sed per articulo seu capitulo, super quo data est dilatio, nisi pars litigans, cui concessa fuit dilatio, hæc nondum finita, agat in causa sua, & in hac, non obstante dilatione, nondum finita procedat.

## TITULUS IX.

### DE FERIIIS.

#### §. I.

*De variis feriarum generibus, & earum computatione.*

**F**eriaz, hæc loci, generatim dicuntur dies, seu tempora, quibus jus non dicitur, sive quibus à negotiis forensibus,

sive actibus judicialibus cessatur, & vocatur. Sunt autem feriaz aliz solemnes seu ordinariæ, quæ à legibus & SS. Canonibus definitæ sunt, & singulis annis recurrunt. Aliz sunt extra ordinariæ, seu repentinæ, quæ non certâ & stabili lege, sed pro re certa occurren-

tibus variis occasionibus, indicuntur à Principe v. g. Illarum alix sunt sacræ, ob Dei cultum & honorem Sanctorum institutæ; & quidem vel politicæ, seu honorariæ, in honorem Principis institutæ, alix necessariæ, sive rusticæ, ob utilitatem ruri laborantium institutæ, messis, v. g. & vindemiæ tempore, &c. juxta Regionis conditionem observandæ. Præter has ferias dantur etiam ferix nuptiarum, quibus à nuptiis publicè, & solemniter celebrandis abstineri debet; de quibus videndum *Trident. Sess. 24. c. 10. De refor. Matr.*, quod hodie correxerit antiquum jus, & observari debet.

Inchoantur autem ferix sacræ à vespera præcedentis diei, & terminantur in vespera diei sequentis, *argu. c. 1. h. r.* ita ut observari debeant tales sacræ ferix à vespera ad vesperam, non tantùm circa officia Divina faciendâ, sed etiam circa abstinendum à laboribus servilibus, aliisque prohibitis: plurimùm tamen hac in re valet consuetudo, juxta quam in plerisque Europæ Regionibus à medio noctis præcedentis usque ad medium alterius noctis talis à laboribus vacatio observatur, quam consuetudinem multùm juvat *c. Quoniam 2. h. r.*

## §. II.

*De potestate indicendi ferias sacras, & de operibus servilibus, quæ in illis fieri prohibentur.*

IN Ecclesia universali solus Papa, & in sua Diœcesi, quilibet Episcopus potest ferias sacras indicare. *can. 1. dist. 3. De consec. f. item cum consensu sui Capituli, & circa Sanctos jam Canonizatos. Et quamvis Princeps etiam secularis præ-*

*Pirhing, Compend.*

cipere possit suis subditis, ut à laboribus & operibus servilibus ac forensibus vacent, non tamen Festum diem instituere potest ad cultum Sancti alicujus in conscientia, aut ad pœnam obligantem, ne Laicis concessa videatur de rebus spiritibus disponendi facultas, & hinc si popul<sup>o</sup> voto factò se obligavit, ad Festum Sancti alicujus celebrandum, possunt quidem illi, qui voverunt, vi voti ad festum tale celebrandum obligari, non obligantur tamen neque isti voventes, neque successores illorum vi statuti alicujus, aut consuetudinis, nisi approbatio Episcopi interveniat.

Prohibentur autem in sacris feriis non tantùm actus forenses, seu judiciales, qui soli prohibentur in feriis rusticis, ne labores scilicet illorum interrumpantur, sed opera etiam servilia, seu mechanica, quibus ministerium corporale, aut famulatus aliis exhibetur, ut est arare, fabricare, artificata conficere &c. de quibus operibus videndi Theologi morales.

## §. III.

*Quinam actus non serviles, seu liberales exerceri prohibentur diebus feriatis?*

PROhibetur insuper *inc. 1. & ult. h. r.* ne Festis diebus, Divino, aut Ss. cultui destinatis, mercatus fiant (publici & solemnnes contractus, publicæ nundinæ &c.) ne fiant placita (judicia scilicet & strepitus judiciales, aut arbitria, in quibus servari debet ordo judiciarius) ne jura præstentur (extrajudicialia, quibus pacta & conventiones publicè & solemniter firmantur, nisi pro pace, aut alia simili necessitate fiant) quæ tamen in re

M m

non

non tantum servanda recepta consuetudines, sed semper a prohibitionibus his excipiuntur casus necessitatis, & casus pietatis, sicuti enim necessitas non habet legem, ita ut si illa urgeat, non tantum causae civiles, sed etiam criminales diebus Festis expediri possunt; sic plurima etiam fieri possunt, ob causam pietatis diebus Festis, in causis v. g. alimentorum, juramentorum, pupillorum, pauperum & miserabilium personarum &c. in causis cultum sacrum concernentibus &c. Imò diebus Festis etiam fieri possunt actus voluntariae jurisdictionis, emancipatio v. g. manumissio, dispensatio, absolutio, concessio indulgentiarum &c. cum strepitum hæc talia judicialem non requirant, vel sint opera pietatis. Et quamvis feriis rusticis, messium scilicet & vindemiarum, quæ ad omnes loci talis incolae extendi possunt, renuntiare possint partes litigantes v. g. ita ut non obstantibus his feriis, causam suam agere velint, cum feriæ istæ ob privatum favorem concessæ sint, judicem tamen cogere non possunt, ad causam djudicandam tali feriarum tempore, nec possunt renuntiare feriis sacris, aut extraordinariis profanis, ob cultum Sanctorum aut bonum publicum indicis, cum publico tali derogare non possit privatus. Prout colligitur etiam *ex cit. ult. h. s.*

## §. IV.

*Quinam actus Judiciales in specie sint prohibiti in diebus festis, vel permissi?*

**P**rimò quidem Libellus judici die Festo etiam offerri potest, cum Libellus talis oblatio non sit actus judicialis, uti

nec inquisitio, quæ à Iudice non tamquam sit prius, quam causa agi incipitur, citata saltem parte adversaria. Decretum tamen sive Iudicis mandatum de citando Reo die Festo fieri non potest, ob contrariam rationem, eo quòd hoc mandato iudicium inchoari coartatur. Ipsa verò citationis executio sive Mandati citatorii insinatio, quoniam nudum ministerium continet, & actus judicialis non est, per Iudicem fieri sicut die etiam Festo fieri potest. Et quamvis sint aliqui, qui putant, validam esse citationem illam, quæ Iudex die non Festo de citando mandatum dat, citat tamen ad diem Festum, ut in Festo Assumptio- nis v. g. B. V. in iudicio compareat, tamen in tali casu mens citantis Iudicis non est, ut hoc ipso die Festo in iudicio se sistat, sed ut in loco compareat, quo post altero statim die iudicium fieri; distinguunt tamen rectius alii, verborum & iurium rigori inhaerentes, & nolunt voluntariam citationem, quæ Iudex expressè ad diem Festum citat partem, ut se sistat in iudicio, cum ea, quæ contra jus firmum pro infectis haberi debeant, *intra reg. h. in 6.* valere autem putant citationem, quæ ad certum diem mensis citatur aliquis, in quem illo anno dies Festus incidit, cum in tali casu nihil expressè contra ius fiat, & mens citantis benigniorem applicationem mereatur.

Secundò probabile quidem est, quòd in die Festo testes examinari, & eorum depositiones licitè & validè possint audiri, modò præcedente die non Festo juramentum deposuerint, cum juramenti præscriptio die Festo sit prohibita, examinatio verò & depositio testium actus judicialis non



non sit, qui per quemlibet à Iudice deputatum tanquam merum executorem, in loco etiam non publico fieri potest, opposita tamen sententia probabilior & juri conformior est, neque enim testes die tali festo ad respondendum à Iudice cogi possunt, ergo depositio eorum non est juridica, & consequenter non est valida.

Tertiò nulla est in die Festo non tantum prolatio sententiæ judicialis, sed hujus etiam executio, juxta *L. ult. Cod. h. e.* cum sine strepitu judiciali fieri non pos-

sit; & ideo etiam reus die Festo capi, aut incarcerari non potest, sive hoc fiat pro debito civili, sive pro crimine, nisi periculum esset in mora; & quamvis jura Civilia plus hac in re admittant, servari tamen debet jus Canonicum, quod hæc talia ordinariè prohibet.

Quartò denique appellare quidem potest aliquis die etiam Festo, non tamen appellationem proficere, eò quòd appellatio non indigeat tanto strepitu, quanto indiget appellationis prosecutio, quamvis & illud tutius fiat die non Festo.

## TITVLVS X.

### DE ORDINE COGNITIONUM.

SI plures quæstiones in idem iudicium convenient, & deducantur, de qua prius cognoscendum sit, potissimum hæc dubitatur, & hinc est.

#### §. I.

*An prius discutienda sit quæstio consanguinitatis, quam super Matrimonio pronuntietur?*

**E**X c. *Intelleximus* *l. h. e.* decidendum hoc est, ubi mulier in Matrimonium petiit aliquem, eò quòd cum eo contraxisset, & super hoc testes produxit; vir tamen hoc negavit consanguineum illius esse se in gradu prohibito probans; quæ viri exceptio, quam quæstionem incidentem dicunt, prius dijudicanda à Pontifice dicitur quam causa principalis Matrimonii. Ex qua Pontificis decisione interunt communiter preceptorias ex-

ceptiones, quæ iustitiam causæ principalis concernunt, per quas actio omnino excluditur ipso jure, seu potius nunquam nata ostenditur, prius dijudicandas, quam de causa principali cognoscatur, cum illa probata clarum sit, nullum jus competere in causa principali actori, & consequenter etiam hac exceptione probata, super causa principali indirectè saltem cognitâ Iudex pronuntiare potest, & debet. Si verò apposita exceptio non tam iustitiam causæ perimat, quam processum ordinarium iudicii impediatur, qualis est exceptio litis finitæ, rei transactæ &c. quales exceptiones emergentes dicunt, non tantum prius cognosci debet talis exceptio, quam causa principalis tractetur, sed prius etiam super ea pronuntiarì debet; ut appareat, utrum procedi ulterius debeat.

M m 2

§. II.

## §. II.

*Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu quaestione spoliationis?*

**C**olligitur responsio ex *c. Cum dilectus. 2. h. t.* ubi Pontifex dicit: Si reus contra actorem spoliatores agentem super spolio, vicissim spoliationem objiciat, distinguendum esse, utrum quaestio spoliationis per modum actionis proposita fuerit, ad restitutionem perendam; vel utrum proposita fuerit per modum exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam. Prius si fiat, censentur mutuae actiones, siue conventio & reconventio, & juxta modum mutuarum talium petitionum pariter tractandae, & una sententia terminandae sunt, ita tamen, ut in conventionem semper priorem locum habeat conventionis causa, quae prius in iudicium deducta fuit; si vero per modum exceptionis opponatur spoliatio ad impediendum, vel differendum processum judicarium, donec restitutio facta sit, prius de exceptione spoliarii, vel de dilatoria exceptione, quam de causa principali cognoscendum est, cum reus in tali casu non teneatur actori responderi, priusquam restitutio facta sit. *c. ult. h. t.* Et quamvis actor condemnari non possit, ad absolute restituendum, cum exceptio non fiat ad impetrandam restitutionem, sed ad excludendam tantum actoris petitionem, condemnari tamen potest ad restitutionem sub conditione, si scilicet ulterius agere velit. Sunt tamen etiam plures casus, in quibus exceptio spoliationis contra spo-

liatorem opponi non potest, si scilicet periculum sit in mora, si praecise officium Iudicis impleretur; si spoliatus conveniatur ex promissione iuramento firmata, in causa matrimoniali, & aliis spiritualibus; si factum sit notorium, &c. videtur etiam *c. Super spoliatione. 4. h. t.*

## §. III.

*An, & qua ratione, si in iudicio incidat quaestio praedicialis ipsi casui principali, prius de causa seu quaestione incidente cognoscendum sit, quam de causa principali?*

**S**I in causa ad Iudicem secularem deducta quaestio incidat, quae quidem ad forum Ecclesiasticum pertinet, huius tamen decisione in causa principali pergit non potest, non debet prius Iudex Secularis cognoscere super causa principali, quam illa incidens quaestio a Iudice Ecclesiastico decisa fuerit, cum ab huius decisione dependeat illa *c. Tunc. h. t.* ita ut Iudicis secularis, quoad causam principalem, suspensa maneat jurisdictione a Iudice Ecclesiastico hac praedicialis incidens decisa fuerit, ad cuius tribunal tunc quaestio incidens ratione spiritualitatis pertinet. Quin imò in casu per se & ex objecto suo spiritualibus, Iudex Ecclesiasticus potest Iudex Ecclesiasticus, vel ex proprio motu, vel ad instantiam partis inhibere Iudici seculari, ne in causa principali agat aliquid, antequam incidens illa decisa fuerit. Quod si tamen causa principali coram Iudice seculari jam mota, quaestio praedicialis incidat ad forum Civile pertinens, potest quidem Iudex secularis etiam de hac inci-

dente quaestione cognoscere, si non excedat illius jurisdictionem, prius tamen de ea iudicare debet, quam de

causa principali, cum illa probata locum non habeat causa principalis.

## TITVLVS XI.

## DE PLUS PETITIONIBUS.

## §. I.

*Quot modis plus petatur?*

**I**n c. Consultum unico h. t. habetur, quod quatuor modis plus peti possit, causa scilicet, re, tempore, & loco. Causa plus petere dicitur, qui in specie & determinatè à debitore petit, in genere tantum, vel alternativè, aut disjunctivè debet aliquid, sic si alter tibi promissit equum aliquem, aut equum, vel duodecim aureos, tu verò equum Neopolitanum determinatè petas, vel omninò velis habere duodecim aureos, cum tamen penes te non sit electio (quæ in debitis ex contractu indeterminatis penes debitorem est, nisi ex verbis aliud appareat, ut ex ultima voluntate debeantur) causam plus petere diceris, & etiam si vilius quid petat, quam alter daturus esset, plus causam petere dicitur, cum non sit electio penes hunc, sed penes debitorem, qui nonnunquam difficilis caret viliori, quam meliore.

Re plus petere dicitur, si decem v. g. aurei tibi debiti sunt, tu tamen petas viginti, non quod ut accessorium quid principali debito, sicuti non plus petere dicitur, qui fundum v. g. cum fructibus petit, cum fructus in tali casu petantur,

non ut principale debitum, sed ut accessorii fundo, &c. tutius tamen est, ad omnem cavendam litem nihil necessarium, ut clausula tali petitioni adjiciatur, petere se scilicet hæc, salvo tamen jure superflui.

Locò plus petitur, cum quis alibi convenitur, quam ubi conventum erat, stipulatus v. g. es, quod Augustæ solutionem v. g. facere velis, alter tamen Ulmæ te de solutione facienda convenit. Quo in casu ad id, quod interest, solutionem non in alieno loco petitam, & factam esse, ex æquitate naturali, non in pœnam tenebitur, qui loco plus petivit, nisi petitionis talis faciendæ iusta causa subit, aut in alio quidem loco petas solutionem v. g. quam conventum erat commodo tamen debitori, & factam mentione loci, in quem conventum erat.

Tempore denique plus petitur, cum ante diem, vel ante conditiones pacto adjectas conventum petitur; sicuti enim qui moratur solutionem, & tempore suo non solvit, minus solvere censetur, ita etiam, qui petit solutionem ante præfixum solutioni faciendæ tempus, plus petere censetur.

## §. II.

*Qua sit pœna plus petentium?*

**O**lim pœna plus petentium fuerat, ut causâ caderent, nec facillè in integrum restituerentur. §. *Si quis agens in-stit. de dationibus.* Hodierno tamen jure, qui plus re, causâ, vel loco petit, condemnatur in omne damnum, quod suâ petitione debitori intulit, ita ut post sententiam etiam latam, nova possit institui actio. Et quamvis tripli etiam pœnam jura Civilia statuunt, pecuniæ illius, quæ in Iudicem & executores Iudicis numeranda fuerat, de jure tamen Ca-

nonico hujus pœnæ nulla fit mentio, neque ubique hujus tripli habetur ratio. Tempore verd, qui plus petit in pœnam pati debet, ut adversario indicæ duplicentur ad solutionem v.g. faciendam, neque cogatur litem suscipere, nisi prius expensæ illi solvantur. Interim tamen, si quis plus petit ante litis contestationem, vel etiam post, ante latam sententiam à petitione hac desistat, non incurrit pœnas relatas plus petentium, ut constat ex *ciz. c. Vnico. h. i.* ubi pœnæ hæ imponuntur perseverantibus in judicio in sua plus petitione.

## TITULUS XII.

## DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

## §. I.

*Quid, & quotuplex sit possessio, & quomodo à proprietate differat. & qua sint commoda, seu privilegia possessionis?*

**P**ossessio communiter definitur in genere, quòd sit rei corporalis apprehensio, seu detentio, animi, corporis, & juris adminiculo. Dicitur primò apprehensio, seu detentio, verè scilicet manibus apprehendendo rem, pedibus insistendo, fundando, vel fictâ, juris scilicet fictione, juxta quæ jura visione nonnunquam in certis circumstantiis, aut signi alicujus apprehensione, &c. res aliqua possideri inchoatur, & dicitur. Dicitur secundò, rei

corporalis; incorporalium enim rerum, uti sunt jura, propriè juxta Iuristas non est possessio, sed tantùm quasi possessio. Dicitur tertio, corporis & animi adminiculo scilicet, licet enim ad continentendam nonnunquam possessionem non requiratur corporalis detentio, ad acquirendam tamen, & inchoandam possessionem corporis & animi adminiculum requiritur, & alterum sine altero non sufficit. Dicitur quartò, juris adminiculo: non quòd omnis possessio justa sit, sed quòd jus tali possessioni non resistat positivè, sicuti resistit, quò minus Laici et spirituales possideant.

Dividitur autem possessio positivè in Civilem & naturalem, hæc corporalis

poralis possessio est, si sit à Civili sejuncta, casu quo v. g. unus rem aliquam ut suam possidet in absentia alterius, qui tamen corpore quidem absens est, animo tamen rem suam possidere pergit; & illa si à naturali sejuncta est, solo animo, absque corporali detentione retinetur, in casu v. g. quo quis à rebus suis absens est, nec per se, nec per alium corpore res illas detinet, animum tamen nunquam abjicit, res eas possidendi, &c. Perfectissima possessio est, quæ utrumque conjungit, prout loquitur possessionis definitio. Sunt quidem & alia divisiones possessionis, sic alia justa, alia injusta dicitur; alia bonæ, alia malæ fidei; alia vera, alia colorata, & apparens; alia violenta, alia clandestina, &c. quæ tamen divisiones, quia alibi explicantur, vel per se claræ sunt, ulteriorem declarationem non exigunt.

Differt autem in pluribus à proprietate possessio. Primò enim proprietas idem est, quod dominium, aut quasi dominium, possessor autem sæpè nihil rei, quam possidet, dominium habet. Secundò proprietas nonnunquam acquiritur solo animo, ante apprehensionem rei v. g. possessio verò solo animo, sine omni apprehensione vera, vel ficta acquiri non potest, à contrario verò solo animo amittitur possessio, non autem dominium. Tertio possessio ex pluribus causis haberi potest, dominium verò non nisi ex una acquiri potest. Quarto potest fieri, ut per traditionem cum justo titulo acquiratur rei dominium, non autem possessio, si alter scilicet rem illam, quamvis injustè detineat, &c.

Commoda autem, seu privilegia pos-

sessionis etiam plura sunt. Primò, quòd possessor bonæ fidei, si alia necessaria prescriptioni accedant, præscribat rem, quam possidet. Secundò quòd in dubio, num res sua, facta sit, nec ne, si dubium tale prescriptionis tempore occurrat, juvare se possit ad rem retinendam titulo possessionis. Tertio, quòd jus habeat administrationis, si rem bonâ fide possidet. Quarto, si rem, quam bonâ fide possederat, bonâ fide absumperit, ad plus non tenetur restituendum, quàm inde locupletior factus est. Quintò non censetur Princeps dare privilegium, aut beneficium cum præjudicio alterius in possessione existentis.

## §. II.

*Quibus modis possessio acquiratur, vel amittatur?*

**R**erum corporalium possessio acquiritur per apprehensionem talis rei veram, vel fictam; ita tamen ut necessarium non sit, quamlibet partem rei alicujus, plures partes conjunctas habentes, apprehendere, ut vera sit apprehensio, sed sufficiat unam v. g. partem domus, animo possidendi, totam domum ingressum fuisse; & ficta apprehensio fieri possit per varios modos, qui à jure approbantur, qui à Civilibus peti possunt. Rerum incorporearum possessio acquiritur primò per exercitium talis juris, sciente & patiente antiquo possessore, contra quem jus acquiritur, ita tamen ut ad possessionem talis juris acquirendam unus non nunquam actus sufficiat, si raro v. g. & non facile talis usus ex gratia concedatur, nonnunquam plures actus, & res ex variis circumstantiis colligi debent,

beat, semper tamen requiritur, exercere talem actum, non ex gratia tantum alterius, sed ex jure quasi sibi competente.

Amittitur autem possessio solo etiam animo non possidendi, ut si quis ex fundo suo abeat, animo eum non possidendi, amittit fundi illius possessionem, non quidem, quod corporalem illius sive naturalem possessionem non retineat, ed quod ex eo corporaliter discedat, sed quod animum non amplius habeat, fundum talem ut suum retinendi, quo animo abjecto, civilem etiam possessionem amittit: Amittitur autem possessio immobilium rerum, si fundum v. g. quem corporaliter occupatum non repetis amplius, vel repulsam passus, nihil ulterius agis; Mobilium vero, si ignorante etiam te, rem tuam mobilem, hac impostero ut sua utendi, eripit aliquis,

### §. III.

*De Judiciis, seu remediis possessoriis, in genere, & in specie, coram quo iudice institui debeat iudicium possessorium in rebus spiritualibus?*

**T**riplex in genere iudicium seu remedium sive interdictum est possessorium adipiscendae scil. possessionis, quam nunquam habuisti; retinendae, in qua turbaris; & recuperandae, quam habitam amisisti. Quae interdicta sicuti pluribus explicant Civilistae, ita ab illis ulterior subdivisio & explicatio petenda est. Videri etiam potest Auctor Metho. hoc loco.

Illud hic adhuc advertendum, si iudicium possessorium adipiscendae vel recu-

perandae possessionis circa spiritualia, vel quasi spiritualia instituat, circa beneficia v. g. jus Patronatus, decimas, &c. quaestio sit de jure possidendi, tum apud Iudicem Ecclesiasticum controversia nullis institui debet, cum sit de jure spirituali quaestio. Si vero de solo facto turbetur v. g. possessionis, vel expulsi ex possessione Clerici foret controversia, contra Laicum turbatorem, aut repellentem, &c. etiam coram Iudice Laico poterit, cum quaestio haec facti tantum sit fori sit, nisi illi admixta sit quaestio juris, prout frequenter fieri solet.

### §. IV.

*An causa possessionis, & proprietatis apud eundem iudicem tractari debeat?*

**E**X c. Susceptis i. h. t. affirmative respondetur, ut ne causae continentur dividatur, & causae connexae inter se facilius expediantur; nisi vel litigantes omnino diversi fori, vel Iudex de utraque causa possessionis & proprietatis cognoscere non possit: Et quantum communiter dicitur, nihil communi habere possessionem cum proprietate intelligi tamen hoc non debet, quod cognitionem judicalem, sed quoad instantiam & essentiam utriusque. Etiam cui delegata est in genere causa cognoscenda, vel in specie causa proprietatis intelligitur etiam causa possessoria illi delegata, ut docet etiam Glossa in c. Pastoralis §. V. Requisitus. h. t. Alud autem est si cui commissa sit causa possessionis cognoscenda, hic enim super causa proprietatis cognoscere non potest, ut docet Glossa recepta in c. i. h. t. V. In d. sicuti

simili (nisi per viam reconventionis, si hec locum habeat) quia mirum non est, si proprietatem, vel ut magis dignum, trahat ad se possessionem, non autem vice versa possessio minus dignum, proprietatem.

## §. V.

An, & quomodo causa possessionis, & proprietatis possint cumulari in iudicio, & quo ordine tractanda sint?

Simul tractari posse in eodem iudicio causam proprietatis, & possessionis (si moveatur interdictum adipiscendæ, aut recuperandæ possessionis, non autem, si retinendæ tantum moveatur, quod cumulari cum petitorio ordinariè non potest) ita tamen ut iudex receptis probationibus super utraque causa, prius examinare possit probationes super causa possessionis, illamque terminare, ex c. ad ultimum 2. h. t. patet. Nisi de utroque liquet, in tali enim casu, utraque causa debet simul unâ sententiâ terminari, ita tamen, ut prius pronuntietur super possessione, in executione tamen proprietatis prævaleat. c. Cum dilectus 6. h. t. quia in pronuntiando seu vatu ordo, qui habitus fuit in cognoscendo; & in executione absorbet effectum sententiæ latæ pro possessione proprietatis.

## §. VI.

Quâ ratione spoliatus instiuere possit iudicium possessorium, & petitorium coram eodem iudice?

Spoliatus, qui possessorio & petitorio iudicio simul agit (quamvis non semper consultum sit, ut possessorium simul

cumuletur cum petitorio) si possessionem & spoliationem probet, non autem dominium seu proprietatem, obtinet in possessorio, eique restituenda est possessio, non autem in petitorio (quia possessionem & spoliationem probavit, non autem dominium, & ab una possessionis ad alteram causam proprietatis, vel distinctam non fit bona illatio. c. Cum Ecclesia 3. & c. Cum super 4. h. t. Et qui ab initio agit iudicio petitorio, de proprietate, siue rei vindicatione, potest, si necdum in causa conclusum sit, suspensio iudicio petitorio, interdictum possessorium adipiscendæ vel recuperandæ possessionis intentare, non autem postquam in causa conclusum est, nisi iudici ex iusta causa id expedire vitum fuerit, prout statutus in c. Pastoralis 5. h. t. ubi iniuste spoliato ita succurritur contra odiosum spoliatorem, si petitorii probationem non videatur posse evincere, ut tamen via fraudibus non aperiatur. Quin imo etiam post sententiam in petitorio latam, quia alter in probatione domini defecit, potest hic transire adhuc ad possessorium, & è contrario ad petitorium à possessorio, quia sunt distincta & separabilia iudicia, quæ quoad hoc nihil commune habent. Hæc autem, quæ dicta sunt de utrisque iudicii cumulatione, locum etiam habent in causis beneficialibus Clement. Vnica. h. t. Etiam si ad Papam appellatum fuerit à causa proprietatis v. g. ita tamen, ut etiam ea advertantur, quæ in duobus ultimis Capitulis h. t. advertuntur.

Nn

Tl

## T I T V L V S XIII.

## DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

**A**gitur potissimum hoc Titulo de interdico unde vi, sive de remedio recuperandæ possessionis, si ex rei immobilis possessione per vim, sive publicam & armatam, sive per privatam, quæ sine armis inferatur, dejectus fuerit. Sit ergo.

## §. I.

*Quibus competat interdictum Unde vi, seu recuperanda possessio?*

**I**n genere dici potest, non concedi hoc interdictum, nisi illi, qui vi dejectus, seu spoliatus fuit possessione rei immobilis, sive naturaliter, sive civiliter tantum rem illam, quæ soli est, sive iuste sive iniuste possederit. In specie vero primo si colonus fundi, vel conductor domus, ab altero vi occupata ejiciatur non ipsis, sed Domino interdictum Unde vi competit; cum enim interdictum possessori competat, hi autem non tam possidere, quam detinere rem illam dicuntur, quam nomine alterius tenent, consequenter non tam his, quam Domino talium rerum interdictum Unde vi competit, nisi colonus v. g. jam prius possessionem interverterit, & non nomine Domini, sed suo nomine fundum v. g. possederit. Quod si tamen ad longum tempus, ad decennium v. g. Conductor v. g. fundus locatus fuit, competit ei interdictum Unde vi, si tali postmodum fundo spoliatus fuit, sicuti & Emphyteuta, & Usufructuario, Usuuario,

& cui habitatio concessa est, quia hi censentur esse in quasi possessione juris ut dominii utilis. Conceditur autem hoc interdictum Unde vi non tantum illi qui simpliciter & absolute possessione spoliati sunt, sed illis etiam, qui liberam possidere non possunt, uti sumitur ex c. Pisanis 19. h. t. cum plene & integre restitui debeat quocumque modo spoliatus.

Secundo si alicui liber homo, aut Laico res Sacra sive Ecclesiastica, beneficium v. g. Ecclesiasticum, decimæ Spirituales &c. per vim eripiantur; locus non est interdicto Unde vi, cum hæc talia simpliciter non possideri possint, vel ab aliis ab his possideri non possint, & consequenter interdictum possessorium hi non potest competere; nisi ex titulo aliquo suam libertatem ille exciderit, vel privilegio speciali Laico concessa sit spiritualium rerum possessio.

## §. II.

*Contra quem competat interdictum Unde vi, vel non, & quando expiret?*

**N**on competit, nisi contra eum, qui aliam possessionem suam deiecit, aut dejici mandavit (modò factum fuerit secutum) aut dejectionem talem suo nomine factam ratam habuit c. Cum ad sedem 15. h. t. Sicuti enim hi in generalis saltem spoliare censentur, ita contra eos etiam interdictum spoliatis com-



veniens conceditur; & quamvis hoc interdicitur etiam hæredi, & cæteris successoribus spoliati competat, non tamen competit contra universales hæredes, aut successores particulares spoliantis, cum pœnale sit, & consequenter non extendendum, ut ne tamen commodum habeat hæres ex delicto tali alterius, cuius hereditatem obtinet, aliam contra eum actionem concedunt Civilistæ, & aliud etiam remedium possessorum contra successorem etiam particularem Canonistæ, ut videbitur.

Potest autem hæc interdictio etiam contra Judicem injustè spoliantem experiri spoliatus, *c. Conquerente 7. h. t.* sive extrajudicialiter, prætermissis scilicet juris ordine, & absque causæ cognitione, ubi tamen hæc necessaria fuissent, vel quod hic in iudicio quidem nullà tamen jurisdictione in tali casu præditus, per sententiam quidem, nullam tamen sive judicialiter spoliaverit aliquem suam possessionem, substantiale tamen vitium admittendo, aut manifestam injuriam committendo, ex quo sententia nulla est; ita tamen, ut pro Iudice judicialiter procedente sit præsumptio, quod justè processerit.

Liberis tamen contra Parentes & liberos contra Patronos non competit hoc interdictum Unde vi, quia factioris atrocitatem, & consequenter aliquam facti infamiam apud viros honestos continet, sed in vicem illius datur actio in factum, de quo plura Civilistæ.

Expirat autem hoc interdictum, si intra annum (utilem tamen & non continuum) spoliatus non egerit; quoad rei vero persecutionem, de eo; quod adspo-

liatorem pervenit, etiam post annum datur, & per modum exceptionis perpetuò durat, cum ea, quæ sunt temporalia ad agendum, ad excipiendum perpetua sint.

## §. III.

*An, & quâ ratione spoliatus possessione restituendus sit, & quando non?*

**S**poliatus ante omnia restituendus est, si legitimè probata fuerit spoliatio, vel de ea constat, & hoc petiverit spoliatus, ita ut ante restitutionem non audiat spoliator, etiam si in contenti probare velit dominium sibi competere, sed post restitutionem, si iudicio proprietatis experiri velit. *c. 1. & c. 5. h. t.* in hoc scilicet interdicto Unde vi in favorem spoliatorum, & odium spoliantium, ita statuente jure, ut ne, dura propria auctoritate sit occupatio, magnæ in republica perturbaciones orientur, & ex delicto spoliatis sentiat commodum. Quod si tamen prædo aut alius notorius injustus spoliator, à Domino vel bonæ fidei possessore, quem re suam spoliavit, vicissim ex intervallo re illa spoliatus sit, naturalis æquitas videtur requirere, ut Domino magis posterius spolianti succurratur, quam injusto prius spolianti prædoni, quin plures esse casus, in quibus spoliatus non est ante omnia restituendus, ex jure patet, & quidem ex *c. Licet 1. h. t.* patet. Si scilicet spoliatus expressè vel tacitè consentiat, ut de exceptione dominij seu proprietatis ante restitutionem factam cognoscatur; cum possit in tali casu juri suo cedere spoliatus, quod in favore illius introductum est; Secundò non est ante omnia restituendus spoliatus, si ex actis

N n 2 Iudi-

judicii constet, nullum jus competere spoliato, sed spoliatori (quia acta iudicii faciunt notorium) vel ex confessione iudiciali ipsius spoliati, qui fatetur spoliatorem Dominum esse (quia confessio est probatio probata) vel si de dominio, aut jure spoliatoris constet ex instrumento publico, quod paratam habet executionem; vel si constet de eo per testes, qui rem evidenter notoriam faciunt; vel denique, si per sententiam latam in petitorio constat de dominio seu jure spoliatoris. Tertio non est restituendus ante omnia spoliatus, si ex tali restitutione periculum animæ timeri possit, aut irreparabile damnum, vel publicum scandalum, vel perturbatio in populo timeatur (quia in his & similibus casibus periculum animæ, & publica tranquillitas, &c. prævalet privato commodo spoliati) vel denique si rem notoriè suam, quâ spoliatus est, & quam per viam juris acquirere non poterit, propriâ auctoritate occupavit; præsertim si sine suo damno restituere non potest, cum in tali casu alia via non sit rei suæ recuperandæ, quâ tamen justè & juridicè privatus non est,

## §. IV.

*Quæ probanda sint à spoliato agente ad restitutionem rei spoliata?*

**D**UO probare debet, qui agit interdicto Unde vi, possessionem scilicet, & spoliationem, sive quoddam rem illam immobilem, quâ spoliatum se queritur, tempore spoliationis possederit (presumptivè saltem hoc probando) & quod hac possessione dejectus sit. Uti patet

etiam ex *c. Consultationibus* 10. jura *Gloss. V. possessionem & dejectionem. De offic. & goteft. lud. deleg.* Et hinc quibus interdicto experiri vult, non audiat, etiamsi probare velit se Dominum huius rei esse, nisi probet rem se possedisse, & eâ spoliatum fuisse. Uti habetur *ex. Olim 17. h. 2.* Cum lapsus non sit idem possessor & Dominus; neque in casu profanis necessarium est, titulum probare possessionis, cum etiam prædo in hoc restituendus sit. *c. In literis. 5. h. 1.*

## §. V.

*Quæ à spoliatore, seu violento in valore restituenda sint spoliatori?*

**N**ON tantum rem unâ cum fructibus naturalibus, qui percepti sunt, & percipi etiam potuissent, restituere debet spoliato violentus spoliator, sed & valor rei alienæ, (deductis tamen expensis, quæ in colligendis & conservandis fructibus v. g. fieri debebant) & omnia insuper damna refarcire (etiamsi spoliatus non omnia hæc petiverit) ac in injuriis integrè satisfacere, *c. Gratia* 10. *h. 2.* Quod si tamen spoliator & ipse spoliatus tuit, nec ob inopiam habeat, cogi non debet ad restituendam rem unâ cum fructibus, nisi prius restitutus & ipse fuerit, *c. Olim vobis* 16. *h. 1.* Cuius inanis sit actio, ut ait Pontifex, quæ executio sententiæ latæ de solutione fructuum faciendâ, suspendatur.

## §. VI.

Quando, & quâ ratione spoliatus agens interdico recuperanda possessionis, in causis beneficialibus, vel aliis spiritualibus restituendus sit?

**S**poliatus beneficio, si magna adversus eum præsumptio sit, quod sine titulo, aut cum titulo vitioso beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, restitui non debet, priusquam titulum institutionis suæ exhibeat, ac justificet (ob periculum vitiosæ intrusionis) aut saltem putativum titulum alleget, & coloret (per regulam v. g. Cancellariæ de trienniali possessore, &c. Si tamen nulla contra eum sit præsumptio, restitui debet, etiamsi institutionis suæ titulum nec justificaverit, nec coloravit, uti colligitur ex c. In literis §. h. t. & in c. 3. De procuratoribus, Cum possessionem beneficii obtinere possit Clericus, absque eo, ut hujus proprietatem habeat, aut in hoc Canonicè sit institutus. Si verò in aliis causis spiritualibus, jure decimarum v. g. jure eligendi, jure patronatus, &c. spoliatus aliquis sit, cui jus commune resistit, assistit verò spoliatori, restitui hic non debet, nisi prius titulum suæ possessionis, vel saltem præsumptionem tituli ostenderit. Prout sumitur ex c. Ad decimas. 2. h. t. in 6. cum favorabiles sint partes illius, qui juris habet assistentiam, contra eum, cui jus resistit; jura quæ in contrarium afferuntur, vel non loquuntur de casu, ubi utrumque sit, ut jus v. g. assistat spoliati, & resistat spoliato, vel loquuntur de notoriis, in quibus juris ordo servari non debet.

## §. VII.

An is, qui renuntiavit beneficio, post vel ante spoliationem petere possit restitutionem, & restitui debeat?

**S**I post spoliationem factam beneficio illi cum juramento etiam renuntiet, restituendus est, non obstante exceptione securæ post spoliationem renuntiationis. c. Sollicito, 2. h. t. Quia verisimile non est, ut ait Pontifex, renuntiationem in tali casu liberè factam fuisse, & juramentum naturam actus principalis sequitur; ita ut hæc præsumptio sit juris & de jure, contra quam non admittitur facilè probatio in contrarium *Glossa hic V. Eum spoliatum*. Nisi renuntiatio facta fuisset coram Iudice competente, qui de ea causa cognoscit, cum auctoritas Iudicis in tali casu tollat omnem violentæ spoliationis suspensionem; aut certò constet, spontè absque vi aut metu renuntiâsse spoliatum, cum per talem libertatem præsumptio illa elidatur; aut Procuratorem ad resignandum, ante spoliationem jam constituisset, cum in tali casu retrahatur renuntiatio ad tempus dati mandati de renuntiatione facienda, quo tempore nulla fuit coactio, aut post longum à spoliatione tempus nihil unquam de spoliatione facta conquerens resignâset, quo in casu, cum concessam sibi querelam de spoliatione tanto tempore omittat, spontè videtur renuntiare; quòd adhuc certius est in eo casu, quo interdico possessorio ad beneficium sibi recuperandum expressè renuntiâset in tali casu, & in talibus circumstantiis, ut de coactione nihil præsumi possit, hæc enim non audietur

Nn 3.

dicitur

dietur, si despoliatione cognoscere velit, uti nec illi, qui ante factam spoliationem spontè beneficio renuntiaverunt. *Accepta 3. h. t.* etiamsi tantum simplex renuntiatio fuerit.

In interdicto verò retinendæ possessionis in causa beneficii reo sive turbatori (qui extra judicialiter turbat possessorem) opponi potest exceptio spontaneæ renuntiationis, si probati possit, quod is juramento promiserit, se possessorem non turbaturum, aut molestaturum super certo beneficio, quia in tali casu spontè renuntiâsse juri suo censetur, quod in tali beneficio prætere potest. *c. Ananias. 4. h. t.*

### §. VIII.

*Quando, & quomodo restitutio spoliati faciendâ sit in causis matrimonialibus?*

**N**on tantum agere potest conjux judicio possessorio, si à conjuge ejectus fuit, & petere se restitui, sed etiam si propriâ auctoritate à conjuge se separavit, discedendo ab eo, potest hic agere interdicto recuperandæ possessionis, quia in utroque casu tam ejecti, quam spontè discedentis conjugis censetur alter jure matrimoniali spoliatus, ita ut quæ propriâ auctoritate à marito v. g. discessit, &c. redire non vult, per vim capi possit, & ad domum mariti reduci, nisi per consensum de præsentem contractum matrimonium nondum fuisset, quamvis ad domum sponsi deducta v. g. fuerit, & illi cohabitaverit. *c. Ex parte. 14. h. t.* Neque enim sine legitimo titulo, saltem eolorato, liberi hominis possessio acquiritur, qualis in nostro casu titulus non

est sola in domum irraductio, sed consensus de præsentem: debet tamen in hiis causis matrimonialibus spoliati restitutio cautè fieri, ut nec injuriam patitur spoliatus, nec periculum animæ spoliatoris hinc si mulier v. g. post contractum consummatum matrimonium præteritione saltem probatum à viro propriâ auctoritate discessit, impedimentum rectè consanguinitatis v. g. aut aliud Divini præsertim juris opponens, quò minus matrimonialiter cohabitare possit, & in continenti probationes paratas offerat, quamvis viro repetenti eam judicio possessorio, quoad domum, & maritum, & alia conjugalibus obsequia restitui debeat, ob communem regulam spoliati ante omnia restituendi, quoad thorum tamen, ob periculum fornicationis restitui non debet, sed recepto ab illa juramento de malitiâ, prius probationes requirendæ sint, quam fiat ad thorum restitutio; si verò probationes non sint promptæ, tum plena quidem est restitutio quoad thorum mulieris restitutio matrimonii spoliato non est deneganda, ipsa verò mulier, si conscia sibi sit impedimenti fornicationis, à copula abstinere debet, & censuram potius Ecclesiasticam tolerare, si sub interminatione talis censure ad usum matrimoniale cogere, deest impedimento probato, ab illa absolvetur, prout sumitur ex prolixo *c. Litera. h. t.* Nihil enim obest, pati ad tempus censuram talem, in facie quidem Ecclesiasticam defectum veræ notitiæ, non tamen coram Deo omniscio obligantem, plurimum autem obest peccato fornicationis se contaminare. Si verò spoliatio restitutio fiat post contractum quidem in facie

Ecclesiarum, sed ante consummatum matrimonium, restitutio se separantis conjugis fieri non debet spoliato restitutionem petenti, quoad thorum, sed tamen quoad domum, mensam, & alia obsequia conjugalia, de quibus in *c. Ex parte 14. h. t.* ad quam post matrimonium contractum sola deductio in dotum mariti requiritur, & sufficit; cum per talem deductionem, necdum quidem plenam conjugis possessionem, quæ habetur per copulam, acquisiverit spoliatus, sed tantum minus perfectam quoad domum, mensam, &c. quæ tamen omnia circa restitutionem spoliati intelligenda sunt, nisi viri v. g. sevitia, cui caveti satis non potest, aliud jubeat, quo in casu nulla fieret restitutio, sed in loco tuto collocaretur spoliatus, dum causa examinaretur.

Quod si tamen Uxor, quæ à Marito sponte discessit, illi seam in possessorio repetenti obiciat crimen adulterii ab eo commissum, plenè & quoad thorum restituenda, si adulterium publicè notorium non sit, etiamsi probationes illis in continenti offerat uxor spoliatus; cum in hoc casu ex plena tali restitutione nulum periculum animæ imminuat, sicuti sequeretur ex plena restitutione impedimentum dirimens præsertim Divinum obiciantis; neque enim peccat Uxor adultero reddens debitum, sicuti peccat in gradu ditimente conjuncta reddens debitum.

§(o)§

## §. IX.

*Virum spoliato agenti interdicto possessorio, Unde vi, opponi possit exceptio criminis?*

**S**i spoliatio agenti Interdictio, Unde vi, crimen obiciatur, non obstante exceptione hac & criminis objectione restitui debet *c. Item cum quis 6. h. t.* nisi tale crimen ad agendum eum redderet inhabilem, prout facit excommunicatio; vel reddat incapacem possessionis, prout Laicus incapax est possidendi beneficii Ecclesiastici, vel sic crimen, quod ipso jure privat proprietate, & possessione, quale crimen est crimen læsæ Majestatis; vel quod privet titulo omni, uti est simonia in materia beneficii, si tamen notoria sit, vel probationes in continenti offerantur, quia in aliis casibus præsumitur facta criminis obiectio ab inimico spoliatore.

## §. X.

*Cui competat, & quando opponi possit exceptio spoliationis?*

**E**xceptio spoliationis à Reo spoliato proposita, quamvis hæc non ab Actore sed ab alio facta sit, nihil quidem impedit, si civiliter agatur, quò minus Judex in causa principali procedat, & definat, impedit autem si criminaliter agatur, ubi Reo qui vel omnibus suis bonis, vel certè majore parte bonorum spoliatus est, per violentiam eo tempore, quo contra illum criminale judicium movetur, conceditur ad probandam spoliationem 15. dierum dilatio (nisi crimen sit notorium) quæ inter tempus hoc proba-

tâ, non tenetur adversario Accusatori respondere, nisi prius restituatur, c. *Frequens* l. h. t. Quia bonis suis taliter spoliatus non debet suis adversariis oblici, ita inermis, & in casu, in quo nec sumptus judiciales sufficientes habet, nec homines sibi favorabiles, qui causam suam agant, facillè reperit, cum tamen majore auxilio indigeat, quam civiliter tantum conventus, ubi fraudes nonnunquam possunt principalis causæ cognitionem intervertere; neque tamen specialis hæc constitutio, in quantum criminaliter accusato in casu talis spoliationis ab alio factæ favet, extendenda est ad casus alios, cum sit à communi jure exorbitans, & potest ac debet Judex, probatâ spoliatione ab alio factâ, certum illi temporis terminum præfigere, intra quem restitutionem petat in Judicio, ne videatur magis ad eludendam accusationem, quam in favorem criminaliter accusati concessa hæc dilatio; juxta *cir. c. 1. §. Solet autem.*

Non potest autem contra agentem in causa Ecclesiastica opponi exceptio spoliationis rei privatæ, neque vice versâ agenti in re privata opponi exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ; prout in *cir. c. 1. §. Ad hoc ultimum* habetur. Cum enim qui in causa Ecclesiastica agit, non tam nomine suo quam nomine Ecclesiæ agat, & de re publici juris, qui verò in causa privata agit, non agat nomine Ecclesiæ, sed suo nomine, & consequenter de re privati juris, quæ autem publici juris sunt, cum privatis compensari non possint, consequenter nulla est exceptio de spolio privatæ rei contra spoliatorem in re Ecclesiastica agentem. Intellegitur autem nomine rei Ecclesiasticæ hinc non

tantum res purè spiritalis, uti sunt Sacramenta, jus decimandi, &c. sed etiam temporalia, quæ ad Ecclesiam quâ talen Monasterium, &c. pertinent, non tamen quæ ad particulares tantum Clericorum personas pertinent, & potius patrimonialia illorum habentur, quam Ecclesiastica.

## §. XI.

*An, & quando violentum, aut injustum Invasorem, vel Deventorem in propriâ auctoritate expellere liceat?*

Potest Dominus, qui absens v. g. proprio fundo spoliatus per violentum fuit, per vim etiam expellere in justum Invasorem, modò non ex intervallo, sed continenti hoc fiat, & modus justæ defensionis non excedatur. *l. 1. in d. Gloss. V. Ad defendendam possessionem Cod. Unde vi, &c. Et cap. olim 12. h. quia*, vim vi repellere de jure naturalis citum est: Censetur autem taliter per vim re suâ dejectus, in continenti & non ex intervallo vim vi repellere, per modum justæ defensionis, si post intellectam spoliationem violentam statim, priusquam ad alios actus divergat, aut spoliatorem ad rem suam recuperandam persequatur, aut media saltem processu (judicialia vel extrajudicialia) ad elatam recuperationem necessaria, consulendo v. g. cum amicis super hac spoliatione, Advocatos constituendo, &c. ab altero enim horum si cessaret, non juri suo defendere, & vim vi repellere censetur, sed vindictam quaerere, quod illicitum est propriâ auctoritate sumere, & civilem etiam possessionem, quam in talibus

## §. XIII.

## De aliis duobus remediis recuperanda possessionis.

## §. XII.

An aliquando propria auctoritate possit quis capere possessionem, etiamsi corporaliter antea non apprehenderit?

Qui possessionem civilem rei habet, naturali possessione penes alium exiteute, potest propria auctoritate occupare naturalem possessionem vacantem per mortem v. g. Usufructuarii vel Coloni &c. prout summitur ex *c. Cum venisset q. b. t.* notissimi enim juris est, quod extincto jure usufructuarii consolidetur usufructus cum proprietate, absq; alia apprehensione, & naturalis possessio velut accessoria civili accedat. Et quamvis qui titulum habet rei obtinendæ, quia res v. g. sibi vendita est; non possit propria auctoritate possessionem illius rei capere, si nondum tradita illa sit, sine voluntate illius, qui eam sibi tradere debet, ne spoliator aut prædo censeatur, qui tamen ad beneficium v. g. aliquod præsentatus, aut electus est, & in hoc confirmatus, aut verbaliter saltem institutus fuit, adedque jus in re, ac verum titulum habet, potest, spe statuto jure communi possessionem ejus vacantem statim ingredi, & administrare, argu. *c. Nostri. q. 2. c. Transmissam 15. De elect. nisi aliud habeat Ecclesiæ illius consuetudo.*

¶

Pirhing. Compend.

Primum est conditio ex *c. Sepè. b. t.* quod remedium competit contra tertium, qui rem aliquam per vim injustam ereptam sciens, & malâ fide accepit, cum enim contra talem malâ fidei possessorem non detur interdictum Unde vi, qui nec spoliavit, nec mandavit nec ratam habuit, suo nomine factam spoliationem, quibus solis de rigore juris civilis interdictum Unde vi conceditur, voluerunt tamen ex æquitate aliqua Ss. Canones etiam huic spoliato, contra tertium malâ fidei possessorem succurrere, & conditionem rei sibi ablatæ ac per vim ereptæ ex *c. Sepè.* Concedere, sive hic tertius malâ fidei possessor rem talè immediatè à spoliatore, sive mediatè accepit, etiam possessore bonæ fidei intermedio. Quod remedium à jure Canonico introductum in foro etiam Civili locum habet, ed quod periculum animæ hoc exigat, ita tamen, ut qui hoc remedio uti vult, probare debeat, non tantum possedisse se rem talem, & violenter ejus possessione dejectum esse, sed probare insuper debeat, tertium possessorem conscium spoliationis factæ, rem hanc accepisse, aut detinere.

Secundum est conditio *Ex can. Reintegranda. causa 3. q. 1.* quod remedium putant aliqui, contra quemvis possessorem dari, etiam contra possessorem bonæ fidei, qui nullam prorsus rei alienæ notitiam habet, putant tamen probabilius alii, hoc tam generale & pingue juris Canonici remedium contra possessores

o o

possesores

seffores etiam bonæ fidei satis expressum non esse, neque colligi posse ex relato Canone Redintegranda, ubi plus non dicitur, quàm quòd Episcopi, ex quacunque causâ injustè spoliati sint ante omnia restituendi, quod juxta regulam universalem verissimum est, non tamen pro-

bat contra eos, qui bonâ fide rempudent, cum in his nullum substat periculum animæ, & frustra Concilium Lateranense posterius *Can. Redintegranda* remedio ex c. *sape*, laborasset, si tamque remedium contra quemvis pollorem constitutum jam fuisset,

## TITULUS XIV.

### DE DOLO ET CONTUMACIA.

#### SECTIO I.

#### De Dolo.

##### §. I.

*Quando exceptio doli detur ad rescindendum contractum dolo initum?*

**N**on est hic sermo de quocunque dolo, bono etiam, qui aliud non est, quàm solertia aliqua adversus publicos præsertim boni publici hostes, ad fraudes eorum & injurias excludendas, sed sermo hic tantum est de dolo malo, qui est calliditas aliqua, fallacia, aut machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita; & si quidem naturaliter contingat, vocatur ignorantia, si verò ex malitia alterius contingat, dolus vocatur; potest autem dolus versari, vel circa substantiam rei, vel tantum circa accidentia, ille dolus substantialis vocatur, & facit contractum taliter dolo in initum ipso jure nullum, cum taliter dolo decepti non sit consensus. Hic verò qui circa accidentalia committitur,

accidentalis dicitur. Uterque dolorum subdividi potest, ita ut aliam causam contractui, nunquam in contractum talem consensus parte contingente, nisi dolo tali deciperetur, verò sit incidens tantum, quo dolo nihilominus pars contractura fuerit.

De dolo ergo dante causam contractum rigidè satis sentiunt jura Civilia, quæ scilicet contractus iste servari debet. *Instit. de except.* non tantum in eo quo non ipse contrahens dolum commisit, sed hic ab alio, vel à propria alii contrahentis voluntate provenit, sed quo etiam ipse contrahens dolum commisit non tantum circa accidentales qualitates, sed sæpe etiam circa substantiam commiserit: ex Canonica tamen, uti de Proctoris æquitate, competit taliter decepti exceptio doli contra dolo sum petentem ad rescindendum contractum, si rescindere hic possit, *L. si dolo §. Cod. de rescin. con.* Si ve stricti juris si ve bonæ fidei contractus fuerit (ne scilicet decipere atriari commodum ex sua malitia) vel de dolo contra quemcunque deceptum ad id, quod interest, taliter deceptum



tum hunc non fuisse. Quod si tamen dolo non dedit causam contractui, sed incidat tantum in contractum, quamvis ad interesse competat actio, contractus tamen talis nec invalidus redditur, nec ad petitionem decepti per appositam doli exceptionem rescindi debet, cum taliter deceptus verè & absolute in contractum talem confenserit. Vide alia, quæ tam hoc §. quam duobus sequentibus ex jure Civili ab Auctore Method. referantur.

## SECTIO II.

## De contumacia.

## §. I.

*Quid & quotuplex sit contumacia,  
& quibus modis quis constituitur  
contumax?*

CONTUMACIA est inobedientia à legitime vocato contra judicem in illis, quæ ad judicium pertinent, commissæ. Et quamvis pluribus modis committatur contumacia, duplex tamen commaniter dicitur esse contumacia, vera, & ficta, seu interpretativa, aut præsumptiva. Vera contumacia committitur, cum quis coactive legitime citatus, ad cujus notitiam facta citatio etiam pervenerit, tamen non comparet, quamvis nullum legitimum impedimentum obsit. Præsumpta seu ficta est, cum quis per edictum legitime citatus, de quo tamen dubium sit, utrum ad illius notitiam pervenerit citatio, non comparet; præsummitur verò hic talis à jure contumax, nisi postea moram purget, & justam causam alleget, ac probet, cur non comparuerit: neque tamen ex sola non comparitione constituitur quis contumax: sed ex eo etiam, si mali-

tiolè se absentet, aut abscondat, ne ad eum perveniat citatio, si compareat quidem, in se tamen negotio sine Judicis licentia discedat, non rediturus ad judicium; si actor venit quidem ad judicium in termino citationis, actionem tamen aut suæ actionis Libellum nullum edit, vel non prosequitur litem, si Reus non respondeat, ad omnes articulos ab Actore propositos, vel obscure tantum, & nihil categoricè respondeat, si non probent allegata & deducta, vel non pareant mandatis Judicium in illis quæ ad causam pertinent, si executionis sententiæ repugnent &c. quibus in casibus ad instantiam partis contra contumaciam procedi potest à Iudice.

## §. II.

*Quomodo procedendum sit contra  
Actorem contumacem?*

SI Actor post oblatum Libellum contumaciter absit, & legitime citatus non compareat, ad contestandam, & prosequendam litem, potest Iudex de jure Canonico (quidquid sit de jure Civili, juxta quod plures dilationes, & annus integer Actori ad comparandum indulgetur, ante litem contestatam) auditis, & receptis testibus Rei præsentis & hoc petentis, si causa illius rite probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si de causa rei non liqueat, absolvere hunc ab hac instantia, uti summitur ex *Causam 3. h. e.* ne scilicet ex contumacia sua post litem captam commodum aliquod habeat contumax Actor, qui cum ad litem provocaverit, merito contra se pati debet Rei probationes & Judicis sententiam, cum tamen hoc de Reo qui invitus ad litem trahitur, quamvis contumaciter

maciter absit, dici non possit. Conceditur quidem Actori in *c. Actor. l. h. t. in 6.* si post terminum citationis, ad quem reum adesse voluit, & comparuit hic, actore non comparente appareat, quod reum iterum citare velle possit, non vult, tamen audiendum eum Pontifex, nisi prius legitimas expensas, quas adversarius ob eius absentiam facere debuit, solvat, & cautionem sufficientem præstet, quod in termino constituto sit compariturus, cum pars innocens damnum pati non debeat propter alterius malitiam, neque credi possit, illi sine cautione sufficiente, qui semel in comparendo malitiosus fuit.

## §. III.

*Quomodo procedendum sit contra Reum contumacem spectato præcipue Iure canonico?*

**S**I Reus post litem contestatam sit contumax, tum vel liquet de causa, & ferri debet sententia definitiva: vel non liquet: & Actor mitti debet in veram possessionem reservatâ tamen Reo absentis quaestione proprietatis, prout conformiter juri Civili statutum habetur in *c. Prout nobis. 4. h. t.* pœnam scilicet majorem constituyente jure, ubi major contumacia est, nolente tamen, ut de quaestione, cujus cognitio habita non fuit, sententia feratur. Si tamen ob contumaciam Rei per primum decretum, rei servandæ causâ in possessionem missus sit Actor, & hanc intra annum ob potentiam Adversarii v. g. consequi non possit, nihilominus tamen elapso anno verus rei illius possessor efficitur, ne melioris conditionis sit contumax, quam obediens, ut ait Pon-

tifex in *c. Contingit 9. h. t.* Non amittit tamen reus contumax de Canonica quietate suam possessionem veram, si intra annum compareat: ac cautionem præstet, quod in jus vocatus comparere velit, & interesse competens præstet illi, cuius interest, quod in tempore non venient.

## §. IV.

*De aliis quibusdam pœnis & modis, quibus contumacia Rei puniatur aut coercetur.*

**P**Otest nonnunquam Iudex ob contumaciam, spectatis variis circumstantiis, Actorem non mittentem possessionem rei petite, sed hanc in quaestione, & contumacem in expensas a tempore citationis factas condempnare ab Actore factas ob Rei contumaciam (ut constat ex *c. Ex literis 2. & c. Canon. lecti 6. h. t.*) non quidem ad exitum que causæ, cum Reus, quamvis contumax sit, non debeat ante sententiam commodo suæ possessionis spoliari, usque dum ponatur contumacia in vacatione missio in possessionem ex primo decreto succedente sequestratione. Sed inde tamen etiam contumacia Rei puniatur suspensione ab officio, & benedictione ac crescente contumaciâ etiam excommunicatione, prout summitur ex *c. Peritatis 8. h. t.* & si malitiosè Actor intentionem probanti peremptoriam exceptionem opponat, quam non probat in continenti, vel expensas Actor solvete tenebitur, vel si non possit, arbitrio Iudicis puniendus est, *c. Finem 5. h. t.* ut in injuria fiat Actor, qui suam intentionem probavit.

§. V.

Quomodo citandus sit Reus contumax absens, si non reperitur; & an etiam appellans, & recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; & utrum appellans ab interlocutoria potest se lata iterum appellare?

Sufficit in casu, quo personaliter citandus repetiri non potest, ad incurrandam contumaciam, si edictum citationis affigatur in publicis valvis Ecclesiæ vel Curie, vel ad domum illius, ubi solitus est habitare c. Venerabilis 10. h. e.

Etiamsi unica tantum peremptoria citatio fuerit, si autem citatus ad totam causam ab interlocutoria, aut alio gravamine, ante sententiam definitivam, recesserit, aut ad Superiorem appellaverit, non debet iterum necessario à Judice inferiore citari ad sententiam definitivam (quia per appellationem talem aut recessum tacite saltem contra talem Judicem protestatur) nisi appellans v. g. facti pœnitens appellationi sponte renuntiaverit. c. Eum qui, h. t. in 6. & Clementi, Si ante, h. t. sed potest ad causam definitivam, eo etiam non citato, procedere, si causa appellationis illegitima fuerit. Plura in Tit. de appella.

TITULUS XV.

DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI SERVANDÆ.

§. I.

Quid si missio in possessionem rerum, vel bonorum ex primo decreto, & qui ejus effectus, & quando ac quomodo concedatur, ac fiat?

Missio ex primo decreto est, & dicitur illa, quâ Judex ad instantiam partis primò jubet, præsentem partem, ob contumaciam absentis, mitti in possessionem bonorum petitorum custodiæ causâ, ita ut per talem immisionem nec dominum nec vera & stabilis possessio rei acquiratur immisso, sed de reo tantum, & rei custodia; post annum tamen, nisi cautionem de se sistendo in judicio intra

annum Reus suâ culpâ præstare intermiserit, quamvis voluntatem hujus præstandæ habuerit, in actione reali verus possessor stabilitur, & irrevocabiliter Actor constituitur, & omnia commoda habet veræ possessionis, salvo manente jure proprietatis parti adversæ absenti, prout sumitur ex cap. Constitutis 1. h. e. ut ne scilicet contumacem sua contumacia juvet, neque tamen sine speciali culpa alia proprietate excidat. Patet tamen etiam ex c. h. t. si per Reum absentem non steterit, quò minus intra annum cautionem præstaret, eò quod vel legitime impeditus fuerit, vel cautio à Judice aut alio, cui offerri poterat, acceptata non

fuert, &c. quod etiam post annum cautio recipi debeat, & possessio restitui (neque enim mihi in pœnam imputandum est, quod per me non stat, quod minus faciam, ut ait *Glossa hic V. Non steterit*, & habetur in *Reg. 41. in 6.*) Sicuti etiam in pristinum statum restituitur, si repetens possessionem alleget, & prober, contumacem se non fuisse, & cautionem desistendo se in iudicio præster, ita ut nec in expensas in tali casu condemnari possit, nisi de contumacia aperte constet. *c. Cum venissent 3. h. t.* Ubi enim non est culpa, nec pœna locum habet. Et quamvis in actione reali in illam rem immisio facienda est, quæ ab Actore petitur, si locum illa immisio habeat; in actione tamen personali hic ordo servandus est, ut primo immisio fiat custodiæ causâ in bona mobilia debitoris, juxta mensuram & quantitatem debiti, deinde si mobilia non habeat debitor, vel non sufficiant in partem bonorum immobilium, & tandem si neque hæc sufficiant, rerum etiam incorporalium jurtum, actionum, five nominum contra suos debitores &c. immisio fiat, ut satisfiat Actori absque ulteriore tamen læsione debitoris Rei.

## §. II.

*An missio in possessionem ex primo decreto seu custodia causa fieri possit in beneficiis Ecclesiasticis?*

**Q**Uæritur iudicio petitorio contra possessionem beneficii Ecclesiastici ad hoc obtinendum, non immittitur ob contumaciam Rei in possessionem talis

beneficii ex primo decreto, sed recipienda sunt probationes, & ad sententiam definitivam procedendum, etiam si non conte statâ, prout statuitur *c. Eius qui unico h. t. in 6.* Ne periculum sit vitio si ingressus, si titulus beneficii non potest examinari. Hæc tamen decisio extendenda non est ad alios casus materiae spiritualis & Ecclesiasticæ, ubi periculum animæ aut boni publici non urget.

## §. III.

*Quid sit missio in possessionem bonorum ex secundo decreto iudicis, quando, & quando interponatur, & quibus ejus effectus?*

**M**ISSIO ex secundo decreto est facta iussu Judicis, quæ jubet Actorem ob perseverantem Rei contumaciam mitti in bona ejus possidenda juxta petitionem, & jus Actoris, ita ut verus ac incommutabilis possessor efficiatur, & fructus rei taliter possessæ percipiat, ac aliis possessoriis commodis gaudeat, servatâ tamen Reo legitima defensione super proprietate rei, quæ contentio ex dictis sufficienter jam patet. Interponi autem hoc decretum debet, post elapsum annum à tempore primi decreti, & præsertim in actionibus personalibus, ac ad instantiam actoris, præviâ cautâ cognitione, utrum ex justo titulo an ex contumacia absit Reus, & citato hoc absente, quia ubi causâ cognitio necessaria est, ibi etiam necessaria est partium præsentia, vel saltem citatio.

## TITVLVS XVI.

## UT LITE PENDETTE NIHIL INNOVETUR.

## §. I.

Quando lis dicatur pendere, & quomodo intelligenda sit regula illa, lite pendente nihil esse innovandum?

Is in ordine ad hujus tituli finem, ut nihil scilicet innovetur, per quod litis pendens qualitas, statusve causæ, in præjudicium alterutrius litigantis immutetur, pendere dicitur, postquam citatio à iudice competente (quàmvis hic per oppositam exceptionem ut suspectus v. g. elidi possit) emanavit, ac ad partem citatam pervenit, vel per hanc stetit, quòd minus citatio ad eam perveniret) quia per quem stat, ne citatio ad se perveniat, habetur pro citato) dummodo in citatione ea sint expressa, per quæ plene reus citatus potest instrui, super quibus in iudicio conveniatur. *Clement. Cum lite 2. h. t.* Et hinc lis pendere dicitur à citatione usque ad sententiam definitivam, si ab hac non fuit appellatum, nec in rem iudicatam transit, & per sententiam interlocutoriam lis finita non censetur, nisi iudex pronuntiet, competentem se Iudicem non esse.

## §. II.

De pluribus casibus in specie, in quibus nihil est innovandum, lite pendente.

Ex *c. Memoria. 1. h. t.* patet, quòd rescriptum, pendente lite in præjudi-

cium possessoris litigantis impetratum, nullum sit, & subrepticium, nisi litis pendens mentio fuerit facta, cum de Principe aut Papa præsumi non possit, quòd rescriptum concedere voluerit in præjudicium legitimi possessoris, prout etiam sumitur ex *c. Dilectum 5. h. t.* & habetur etiam in *c. Causam 19. junctâ Glossâ. De testibus.* Et si lex juris communis de novo emanans non extenditur ad causam litis jam motæ, sive pendens, absq; speciali mentione, multò minus absque expressa mentione speciale rescriptum ita extendendum est, tanquam odiosum, & à communi jure exorbitans, quamvis motu proprio concessum esset.

Secundò, Ex *c. Laudabilem 2. h. t.* patet, quòd conjux ab altero conjuge ad separationem thori accusatus, non debeat à Iudice, pendente lite, possessione sui conjugis privari, donec crimen de eo legitime probatum sit, cum non debeat sine culpa jure suo privari.

Tertiò, ex *c. Ecclesia 3. & 4. h. t.* habetur, quòd res litigiosa, super qua inter actorem & reum lis pendet, extra casus à jure permittos, de quibus *Glossa in cit. c. 2. V. Litigiosi h. t.* pendente lite, alienari non debet, nec possit (ut ne durior conditio parti litiganti imponatur) & si alienata talis res fuerit, ac recuperari non possit, qui alienavit, rem aliam æquivalentem in ejus locum substituere debeat, quæ & ipsa, pendente lite alienari non possit.

possit, cum subrogatam assumat naturam & conditionem ejus, cui subrogatur.

## §. III.

*Quomodo nihil innovandum sit lite pendente in causis beneficiis?*

**I**N casu, quo duo in discordia electi presentati, postulati, &c. ad eandem Prælaturam inter se apud Iudicem competentem litigant, & unus ex illis, pendente lite, moriatur v. g. aut juri suo renuntiet, & à persecutione causæ cesset, non potest ad aliam electionem, lite circa alterum pendente, procedi, ita ut nova electio attentata sit ipso jure irrita, *c. Dispensis 1. h. t. in 6.* (Nisi notoriè constet, litem talem in fraudem novæ electionis motam fuisse, & neutri litigantium ius aliquod competere.) Statuente hoc Bonifacio octavo contra jus antiquum in *c. Ex parte 10. De arbitris.* ne superstiti litiganti jus suum adimatur, non examinata causâ, & ut sciat, cuienam pro illa vice jus eligendi competat. Pari modo, si lis alicui super beneficio jam obrento moveatur, non debet alteri

fieri collatio hujus beneficii, super quo lis mota est, etiam si lite pendente ille moriatur, donec contra superstitem, qui litem movit, fuerit hæc finita, prout statuit Pontifex in *c. Si ij. 2. h. t. in 6.* Quod si verò duo de beneficio litigantes in Curia moriantur, collatio talis beneficii ad Papam pertinet, & ad Ordinarium, si uterque extra Curiam moriatur, nisi non tam ad illos, quam ad tertium aliquem jus beneficii talis pertinet. Si autem unus in Curia moriatur, & alter extra Curiam, ille verò, qui in Curia moritur, beneficium possederit, ad Papam iterum pertinet collatio, ad Ordinarium autem, si ille possedit beneficium, qui extra Curiam moritur, si verò neuter possidebat, uterque tamen mortuus est, unus in Curia, alter extra, collatio pertinet ad Pontificem, si superstiti tamen unus litigantium, & litem prosequatur, non confertur beneficium, dum suspendet, confertur tamen à Papa, vel Ordinario, prout litis decisio, vel pro deciso in Curia, vel pro alio facta fuit, statuente *Clemente. Si duobus 1. h. t.*

## TITVLVS XVII.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONVM  
ET FRUCTVM.

## §. I.

*Quid sit sequestratio, siue sequestrum, & quotuplex, & quæ res sequestrari possint?*

**S**equestrum est rei controversæ, vel fructuum ejus apud quendam ter-

tium, & inter litigantes medium, quod sequestrum dicitur, facta depositio, ut sit finita ei, qui vicerit in causa, restituenda. Sunt quidem, qui volunt possessionem transferri in Sequestrum, si iudicis auctoritate, invito etiam possessore, res sequestratur; contrarium tamen est probabile.

lius, quod scilicet possessio in sequestrem non transeat, quamvis communi partium consensu res sequestratur, si non de ipsa possessione, sed de proprietate tantum moveatur, & expressè hoc actum non sit, ut possessio sit penes sequestrem, cum præsumi non debeat, possessionis commodis privare se velle aliquem, nisi specialis causa cogat. Duplex autem est sequestrum, voluntarium aliud, seu conventionale, quod fit communi utriusque partis litigantis consensu, & necessarium alterum, sive iudiciale, quod fit auctoritate sive mandato Iudicis, & quidem vel motu proprio, & ex officio, vel ad instantiam unius partis litigantis, alterâ contradicente. Possunt autem sequestrari res corporales, & incorporales, sive jura, res mobiles, & immobiles, res profane, & spirituales. Et fieri potest sequestratio talis tam in iudicio, quam extra iudicium, &c.

§. II.

*An, & quibus casibus sit licit a sequestratio, & quibus casibus sit prohibita?*

Sequestratio voluntaria, quæ fit ex consensu partium, regulariter non est prohibita, sed permissa, & approbata à jure, quia est species quædam depositi, & consequenter legitimus contractus. Necessaria tamen sequestratio, quæ fit auctoritate, iudicis, & parte invitâ, regulariter utroque jure tam Civili, quam Canonico prohibita est, quia non oportet iudicium ab executione inchoare, & possessor pendente iudicio possessionis suæ commodis privandus non est. Sunt tamen plures casus, in quibus sequestra-

*Pirhing. Compend.*

tio necessaria locum habet, & primò quidem, si actor fructus rei, in cuius possessionem custodia causâ ex primo decreto missus est, pro arbitrio suo distrahat, & dissipet, sequestrari hi possunt, *c. Diligentius 2. h. t.* ne scilicet horum fructuum, quorum ipsis custodia tantum concessa est, restitutio, si faciendâ sit, reddatur impossibilis. Secundò, quando periculum aut timor subest, ne res, de qua controversia est, pendente lite ablumatur, aut pereat, sequestrari ea potest (ne iudicium reddatur illusorium) nisi per sufficientem cautionem, præsertim circa res mobiles satis caveri possit. Tertio si appellet reus à sententia possessionem illi adjudicante, fructus tamen interea, dum pendet appellatio, dissipet, possunt in tali casu fructus illi sequestrari, *c. Ab eo. 3. h. t.* (ad restitutionem scilicet victori faciendam facilitandam) vel si contra executorem late sententiæ, quæ etiam in rem iudicatam jam transit, appellet, quo in casu statim sequestratio fieri potest, si res mobilis sit, vel fructuum saltem, si res sit immobilis, etiam si fructus non dissipentur, quia præsumptio in tali casu est malitiöse appellationis, ad impediendam præcisè executionem interpositæ. Quarto, sequestratio fieri potest, si periculum sit, ne litigantes ad arma deveniant, & vi possessionem occupare velint, neque enim permittere Iudex debet, ut quæ iudicio componenda sunt, armis decidantur. Quintò, sequestrari fructus possunt, si quis officio suo, propter quod fructus percipit, non satisfaciat, & de hoc monitus fuit. Sextò, sequestrari dos potest, si maritus vergat ad inopiam, & periculum sit, ne dotem dilapidet

Pp lapidet

lapidet, vel si scivitia viri non patiatur restitutionem conjugis, aut periculum corruptionis timendum ex restitutione sponsæ &c. Illud tamen adhuc circa sequestrationem necessariam advertendū, Primò si facta ea sit locò missionis in bona ex primo decreto, eodem modo loquendum esse de tali sequestro tollendo, vel continuando, quo locuti fuimus de missione in bona per primum decretum, cum subrogatum in tali casu juxta naturam illius, cui subrogatur, explicandum sit, uti etiam habetur in *c. 1. b. 2.* Advertendum secundò quòd quatuor concurrere debeant, ut licet fiat à Iudice sequestratio. Primò ut Iudici constet saltem summarie de jure illius, qui sequestrationem fieri postulat. Secundò ut is, in cujus præjudicium petitur sequestratio, citetur, & videat eam fieri. Tertio ut postulans sequestrationem juramento affirmet, quòd non postulet eam calumnie seu æmulationis causa, sed ad juris defensionem. Quartò ut appareat aliqua suspicio contra eum, contra quem petitur sequestratio.

## §. III.

*De sequestratione Beneficii litigiosi, nondum à proviso per triennium possessi.*

**D**E hoc statuit *Clement. unica b. 4. d. cavendas*, & refrenandas malitias litigantium, malitiosis cavillationibus lites beneficiales prolongantium &c. sequestratio beneficii, de quo lis movetur per Ordinarium Loci fieri possit contra possessorem non triennale in talibus beneficii, posito quòd in curia Romana una sententia definitiva lata, & promulgata contra possessorem talem fuerit, quæ sit prima respectu loci, non tamen contenta per quam principalis questio, & non interlocutoria tantum decisa fuerat. Plura de hac sequestratione à Curia Romana multum pendente, & vix alicujus in partibus nostris praxis, vide apud *Auctoritatem Methodi.*

## TITVLVS XVIII.

## DE CONFESSIS.

**C**onfessio, de qua in hoc Titulo agitur, aliud non est, quàm illius quod ab Adversario intenditur, in Iudicio, vel extra Iudicium facta asseveratio: & hinc duplex est confessio, judicialis alia, quæ fit in Iudicio; & alia extrajudicialis quæ fit extra Iudicium. De utraque dicendum aliquid, prius tamen aliquid de judiciali confessione.

## §. I.

*De Requisitis ad Confessionem judicialem, & quibus modis ea fiat?*

**R**equiritur, ut ea fiat in Iudicio coram Iudice competente, sedente per tribunali, in causis requirentibus plenam causæ cognitionem. Et hinc si tantum



coram Notario fieret, etiam si altera pars  
presens adesset, iudex tamen non ad-  
esset; vel esset iudex in hac causa in-  
competens, aut summarie tantum pro-  
cederet, confessio facta non haberet  
(saltem de jure, aliud enim circa con-  
fessionem coram Notario factam, & ad  
protocollum receptam, consuetudo ho-  
dierna habere dicitur) vim confessionis  
judicialis. Secundò requiritur, ut sit de re  
certa, incerta enim confessio senten-  
tiam parere non potest, quod tamen de  
confessione judiciali dicitur. Tertio de-  
bet esse de re, quæ neque rerum naturæ,  
neque juri adversatur, alia enim confessio  
nec probabilis esset. Quarto debet fieri  
presente adversario, vel saltem ejus Pro-  
curatore, vel saltem ut à iudice, aut alio  
quopiam sit acceptata, modò absens  
ratam postmodum habeat acceptatio-  
nem talem, cum parti hoc modo satis  
consultum sit. Quintò requiritur, ut fiat  
sponte & liberè, ex tortâ enim metu, aut  
aliâ vi fidem non facit. Sextò requiritur,  
ut fiat ex certa scientia, ignorantis enim  
confessio nihil facit, & revocari potest  
error facti usque ad sententiam, modò  
probari possit talis error ante latam sen-  
tentiam. *c. Ex parte 3. h. 2.* Septimò re-  
quiritur, ut sit facta ab eo qui 25. annis  
major est; quamvis enim ejus, qui mi-  
nor est 25. annis, pubes tamen, con-  
fessio in iudicio facta sine Curatoris  
auctoritate valeat, læsus tamen in inte-  
grum restituitur intra quadriennium.

Fit autem confessio in iudicio duobus  
potissimum modis, expressè scilicet;  
cum quis verbis expressis seu voce con-  
fiteatur rem aliquam; Et tacitè sive ipso  
facto, prout proferens instrumentum

aliquod coram iudice, tacitè censetur  
omnia confiteri, quæ in illo continentur,  
& qui actum aliquem liberè exercet,  
censetur omnia confiteri, quæ ad actum  
illum consecutivè etiam pertinent &c.  
Quæ tacita confessio sæpius ex juris in-  
terpretatione præsumitur, uti patet  
ex *c. Si post præsumm 2. h. 1. in 6.* ita ta-  
men ut contra eam admittatur probatio.  
Et quamvis ex confessione Rei simplici-  
ter & purè facta, sine adjecta qualitate  
restringente, fundata maneat actoris  
intentio; si tamen confessioni à Reo  
factæ qualitas aliqua restringens adicia-  
tur, & sit præsumptio aliqua juris contra  
eam, tum pro parte acceptari potest in  
præjudicium confitentis. *L. 1. Cod. ad L.  
Cornel. de Siccariis. L. Si non convitii. §. Cod.  
de injuriis;* vel nulla est præsumptio ju-  
ris contra talem adjectam qualitatem, &  
tum in favorem rei confessio talis accep-  
tari potest, si protetur adjecta qualitas,  
& unum tantum articulum contineat  
confessio; si enim plures articulos  
contineat partim acceptari, partim  
repudiari posset, si pro uno articulo  
nulla pugnaret juris præsumptio, contra  
alterum verò haberetur juris præsumptio.  
**§. II.**

*An positio super factis negativo,  
qua aliter probari non potest, nisi per con-  
fessionem adversarii, sit admitenda? Et  
quomodo puniri possit is, qui confiteatur  
crimen contingens causam principa-  
lem, vel incidenter in iudicio?*

**D**E priorè quæstione agitur in *c. 1. h. 2.  
in 6.* admitti scilicet posse eas po-  
sitiones à iudice, si suadente æquitate  
viderit expedire; quamvis enim stricto  
jure illad solum possit poni, quod probari  
potest.

potest, positio autem negativa, si non sit per circumstantias loci & temporis determinata, directe per testes probari non possit, ut infra dicitur, potest tamen quandoque Iudex suadente aequitate, si ita expedire videatur, positiones tales negativas admittere (cum aliter sepe causa expediri nequeat) quamvis cum clausula, *Salvo jure impertinentium vel non admittendorum*. Positiones alias admiserit.

Ad posteriorem quaestionem responderi potest, quod si quis crimen contingens causam principalem confiteatur incidenter coram suo Iudice, Reo tali tale crimen confitenti imponi quidem non possit poena ordinaria, uti colligitur ex *c. Quam sit. 9. De excessib. Pralato*. Possit tamen Iudex novum processum inchoare, & ex officio inquirere contra criminis, qui taliter suum crimen confessus est, & producere priorem confessionem de commisso crimine, ad probationem delicti, & poenam ordinariam inferendam, uti colligitur ex *c. Cum super 2. b. 2.* Ex quo Capitulo satis etiam colligitur, quod Pontifex ex plenitudine suae potestatis etiam possit, sine novo processu instituto, in casu criminis taliter incidenter affirmati, & cogniti ad ordinariam poenam imponendam procedere.

## §. III.

*De effectibus Iudicialis confessionis, & revocatione ejusdem.*

**E**ffectus judicialis confessionis praecipuus est, quod non tantum plene probet, cum nulla sit major probatio, quam proprii oris confessio, sed faciat etiam, ut confitens contra se habeatur

quodammodo pro iudicato, ita ut talis confessio habeat vim sententiae, & rei iudicatae quodammodo (sitem in causis civilibus) quoad ipsam confitentem. Et quamvis non debeat pro confitente talis confessio admitti, cum nemo in propria causa testis esse possit, aut fidem plenam faciat, quia tamen contra se nemo possumitur temere fateri, hinc recte dicitur, per eam tolli omnem juris & de praesumptionem, notorium induci, admittendam, ac audiendam etiam, quam in causa conclusum est, ita ut ea ferri possit sententia definitiva, quavis processus propter ordinem juris servatum nullus esset, neque regulariter taliter confessus appellare possit. Plurimi tamen affirmant, etiam in hoc casu propriae confessionis judicialis, sententiae Iudicis definitivam requiri, quae non debeat contra confessum in Iudicio, nisi iudicium semel captum per sententiam dirimendum sit, & Iudex super causa, qua cognovit, pronuntiare debeat, hinc recte dicitur quodammodo pro iudicato; & vim sententiae iudicatae hanc confessionem habere, quam sententiae requiri etiam post confessionem spontaneam Rei, in causis criminalibus, certum est.

Potest autem confessio a parte litigante in iudicio facta, revocari ab eodem, si in continenti haec fiat revocatio, a parte adversa nondum sit plene accepta confessio talis) quod enim per acceptationem adversario jus quaesitum habet invito hoc auferri non potest) ex intervallo vero revocari ea non potest, nisi error probetur, antequam sententia lata est.

## §. IV.

*An confessio unius Criminosi facta in iudicio præjudicet aliis, ita ut ea admittenda sit. Et probet etiam adversus alios socios criminis?*

**R**esp. ex c. *Cum Monasterium* l. h. s. negativè nisi aliis legitimis probationibus, vel per propriam confessionem, &c. Reos eos esse, constiterit, quamvis si infamiâ aliquâ laborent, purgatio Canonica illis indici possit: æquitate scilicet. ita eorum vitæ v. g. consulente, ut tamen famæ eorum nihil adhzreat maculæ. Imò ex hoc ipso Capitulo habetur, quod ordinariè & regulariter de criminis sociis seu complicibus interrogari non debeat eorum de se in iudicio crimen confessus, si nulla eorum præcedit infamiâ, aut indicia, eò ipso enim, quòd crimen hic talis de se confessus, infamis & vilis persona habeatur, nullus etiam fidei est illius contra alios testimonium, c. *Testimonium* s. 4. *De testibus*, &c. nisi crimina à jure sint excepta, uti sunt crimina bono publico valde pernitiòsa crimen læsæ Majestatis, crimen hæresis, crimen veneficii, seu magiæ, crimen latrocinii & grassationis per vias publicas, crimen sacrilegii, simoniæ, falsæ monetæ, assassiniæ, furti, &c. in quibus de sociis interrogari permittunt, & jurari, uti etiam in delictis occultis & difficilis probationis, in quibus de veritate constare vix potest, nisi per socios, quale crimen est crimen conjurationis & conspirationis contra Superiorem, &c. & in delictis, de quibus ex natura rei vel ex circumstantiis constat, quòd absque alterius mandato omissa non sint, aut sine socio committi

non possint, nec soleant, &c. Vt autem in his etiam casibus iudicè ludex de sociis inquirere de se confessum possit, primò requiritur, ut Iudex non interroget in specie, de hoc vel illo, &c. sed tantum in genere ( ne videatur ludex non tam inquirere de sociis criminis, quàm suggerere, contra quos fateri debeat) nisi legitimæ præsumptiones contra certam aliquam personam pugnent. Secundò requiritur, ut talis denuntiatio sociorum per torturam contentis etiam confirmetur ( ut ne varius & vacillans in tali denuntiatione videatur) quam postea à tortura liber spontè ratificet. Tertiò requiritur, ut juramento confirmet denuntiationem socii criminis, quia testi sine juramento deponenti, nec in civilibus nec in criminalibus habetur fides, nisi contraria alibi consuetudo aliud habeat. Quartò requiritur, ut denuncians socium criminis, nullam cum hoc gerat inimicitiam, ut ne vindictæ potius causâ, quàm veritatis amore videatur denunciare. Quintò requiritur, ut in suis denuntiationibus contra socios criminis sit constans criminis, ne vacillando suspectam meritò faciat denuntiationem. Sextò requiritur, ut reus de se confessus, præter hanc criminis infamiâ non sit aliunde infamis, & testimonio ac fide indignus, cum hæc jura, quæ de sociis criminis de se confessum interrogari permittunt, à communi regula negante exorbitantia strictè sint interpretationis, & ad aliter infames non extendenda, & Septimò deniq; requiritur, ut denuntiatio talis facta à criminoso sit adminiculata aliis conjecturis, & non nuda assertio criminis, ne præjudicium patiantur

ex tali denuntiatione multæ personæ honestæ, prout pluribus mox dicetur.

## §. V.

*Utrum confessio, vel denuntiatio facta à Criminoso de sociis criminis sola, absque aliis indiciis sufficiat, ut Iudex ex officio procedere possit ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum, vel etiam torquendum personas denuntiatas?*

**R**Ep. Non sufficere solam denuntiationem in criminibus non exceptis, nullo alio concurrente indicio, ut Iudex possit de persona denuntiata specialem inquisitionem instituere, cum enim in his criminibus juridicè interrogare non possit reum de locis criminis, consequenter facta ad eum inquisitio illegitima erit, velut facta contra prohibitionem utriusque juris, nisi secundùm consuetudinem particularem Tribunalium talis à Reo socii facta denuntiatio, non tam ut testis depositio, quàm ut denuntiatoris recipetur, qui Iudici viam aperit ad inquirendum. In criminibus, verò exceptis, in quibus legitimè potest de sociis criminis interrogari criminosus de se confessus, si alio indicio verosimili denuntiatio ipsius adjuvetur, publicâ infamia v. g. personæ denuntiatæ, vel quòd familiariter cum criminoso egerit, quòd alterius etiam criminosi accedat denuntiatio, &c. potest Iudex non tantùm ad specialiter inquirendum, sed ad citandum etiam, capiendum, & quandòque etiam, si valde gravia & ingentia indicia adsint, ad torquendum denuntiatum procedere, non tamen ad condemnandum, nisi certæ probationes & indubitæ intervenerint.

## §. VI.

*De Confessione extrajudiciali, ejusque effectu.*

**C**onfessio extrajudicialis, parte preterente facta & cum speciali cautela expressione, in causis civilibus, plenè probatur in judicio contra confitentem, si duobus testibus probari possit; parte verò abente facta, aut causâ nullâ speciali expressione vel nihil probat, vel tantùm semiplenè contra confitentem. Uti colligitur ex c. Si cautio 14. De fide instrum. Nulli in priore casu evidenter errasse se, pars confiteus probet, aut per exceptionem non numeratæ pecuniæ v. g. elidi possit confessio, aut fiat tantùm per verba narrativa, &c. & in posteriore casu nisi in instrumento facta sit confessio, aut testamento, vel aliâ ultimâ voluntate, aut iuramento confirmata sit, aut fuerit gemitiva non uno tantùm tempore, sed et intervallo, vel facta fuerit non ad obligandum, sed liberandum ab obligatione, &c. his enim in casibus plenam probationem facit, etiam si pars adversa confessioni tali non adfuerit, aut specialis causa expressa non sit.

In causis verò criminalibus confessio extrajudicialis indicium tantùm sufficiens facit ad torturam, si in judicio contra confitentem producatur, prout sumitur ex c. Olim 25. De rescript. non quidem quasi sufficiens indicium faciat ad torturam, tertii, cum vix sufficiat ad indicendam purgationem canonice, sed ad torturam, & in præjudicium confitentis, nunquam tamen confessio tali plenam aut semiplenam probationem facit ad condemnationem.

TITVLVS XIX.  
DE PROBATIONIBUS.

## §. I.

*Quid, & quotuplex sit probatio?*

**R**ectè definitur probatio in genere, quòd sit actus judicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta de re controversa Iudici fit fides. Dividitur autem priuò in artificialem, quæ arte & industriâ probantis ex ipsa causa & circumstantiis facti desumitur, & in inartificialem, quæ à testibus v. g. extra causam ad fidem faciendam assumitur. Secundò dividitur in plenam, & semiplenam: plena plenam facit fidem de re in iudicium deducta, ut ad sententiam ferendam Iudex plenè instructus sit: Semiplena, quæ etiam imperfecta dici potest, est illa, quæ aliquam quidem, non tamen plenam fidem Iudici facit, ut ex illo iure moveri possit ad sententiam ferendam pro hac vel illa parte, &c. addunt aliqui mixtam, quæ ex duabus semiplenis probationibus fit, quæ si ad eundem finem tendant, conjunguntur (saltem in causis Civilibus) ad unam plenam probationem faciendam, (sive sint ejusdem, sive diversi generis probationes) non autem si ad diversos fines tendant; cum in illo casu, quæ singula non probant, collecta juvent, iuxta *Gloss. fin. in c. Cum causam 13. h. 2.* In hoc verò casu, cum ad diversa tendant, non possunt unum idèmq; probare. Tertio, dividitur in judicialem, quæ fit

in iudicio post litis contestationem, & qua iudicium strictè inchoare dicitur, & in extrajudicialem, quæ fit extra iudicium, vel ante litis contestationem. Quarto denique alia juris, alia facti probatio aliquibus dicitur, quæ si velit, quòd jus aliquando probandum sit, aliquando verò factum, verum quidem dicit de facti probatione, de juris autem probatione admitti non debet, cum ea, quæ juris sunt, non indigeant probatione, tanquam per se certa, & Iudici nota,

## §. II.

*Cui incumbat onus probandi, vel quis probare debeat,*

**A**ffirmanti incumbere onus probandi ordinariè communis regula docet, & hinc tam in Civilibus, quàm in Criminalibus, tam in Spiritualibus, quàm temporalibus, &c. actor, sive accusator probare debet suam affirmationem, & reus suam exceptionem affirmativam, nisi absolucè ob præsumptionem juris pro actore, totum probandi onus transfertur in adversarium, iuxta *L. Cum de indebito 25. ff. h. 2. & c. Vnicum. V. Eccles. benef. fin. dimi. conf. junctâ Glossâ V. Actore non probante, & juxta receptam Gloss. in c. Ex insinuatione 3. V. Probare potuerit. De procurat. Vel nisi spontè in se receperit Reus onus probandi, aut à Iudice*

Judice juramentum probationis loco Reo deferatur, quod accipere debet. Et quamvis ille, qui absolute negat factum aliquod, non teneatur probare: eò quod *juxta c. Bona. 23. De elect.* negantis factum per rerum naturam (sive secundum cursum naturæ loquendo) nulla sit probatio, & non entis nullæ sint differentia; proprietates, definitiones, &c. ex quibus probationes desumi debent, potest tamen nonnunquam per juramentum proprium delatum, propositio etiam negativa probari; vel per præsumptiones, ita ut saltem onus probandi in adversarium rejiciatur; vel quod super negativa propositione fundat intentionem suam allegans; vel per negantis propriam confessionem, si tamen talis confessio probatio dici potest. Quin imò, si propositio negativa facti determinata sit, ad certum locum, tempus, vel alias circumstantias potest probari saltem indirectè, circumstantias tales, quæ sub sensum cadunt, probando; (& sic qui asserit, se tali tempore in loco tali non fuisse, probat negativam, se non occidisse talem in tali loco, se cum hoc non contraxisse tali tempore, &c.) vel si propositio negativa facti prægnans sit, virtualiter saltem & implicitè propositionem affirmativam continendo, directè etiam ea probari potest, quo modo probat, se non liberè renunciâsse, qui probat coactum se renunciâsse; vel quando contra juris præsumptionem negatur in aliquo qualitas de jure requisita, quod probari debet, quia quilibet præsumitur esse idoneus, nisi contrarium probetur.

¶(o)¶

## §. III.

*Quis probare debeat in judiciis communibus, & quomodo probationes utriusque partis litigantis fieri, & recipi debeant in interdicto retinendæ possessionis?*

**I**N Judiciis communibus, sive duplicibus (cujusmodi sunt hæc tria *Famulæ herciscundæ, Communi dividundo, & Finium regundorum*) uterque litigantium probare debet, quia quilibet sicut Actor & Reus est, prout habetur in *Inter. 44. §. Qui familia. 4. ff. Famulæ herciscundæ. Et c. Ex literis. 3. b. t.* tamen, ut qui prior ad iudicium provocavit, magis Actoris, quàm Rei locum habeat, & prior de calumnia juratus debeat.

In interdicto retinendæ possessionis, quando utraque pars contendit, se in solido possidere eandem rem, uterque Reus & Actor est, & utriusque probationes à Iudice recipi debent, cum possessionis, tum tituli, si offerant se ad illum probandum, ut exinde appareat, pro qua parte pronuntiandum sit, præsumitur ex *c. Licet causam 9. b. t.* vel ut appareat, quis habeat possessionem antiquiorem.

## §. IV.

*Vtrum Reus teneatur exhibere Actori ad probandam intentionem ejusdem instrumenta, seu documenta contra se? Et an Actor, quando plene probatus, cogi possit ad jurandum?*

**R**EUS in iudicio conventus non tenetur exhibere propria instrumenta Actori contra se, ad fundandam illius intentionem.

intentionem, prout habetur in *e. Ex Epistola. i. h. e.* (neque enim æquitas permittit, ut Reus contra se Actorem instruere cogatur) nisi instrumenta, quæ exhiberi petuntur, non tam sint propria unius, quam communia utrique parti, vel ratione proprietatis, vel ratione causæ, vel quando facta sunt pro cautione plurium; vel quod facta sint à persona publica, ex publico, officio &c. quin etiam sua instrumenta Reus edere debet Actori petenti, si hic fundatam suam intentionem habeat, circumstantiam tamen aliquam, quæ intervenit, ignoret (cùm in tali casu non petantur instrumenta ad principaliter impugnandum) vel si ipse Reus suis in iudicio instrumentis contra Actorem utatur, & necessaria hæc sint ad Actorem instruendum, utrum ligare velit, ad replicam formandam &c. vel si ex speciali privilegio jus habeat, ad petenda Rei instrumenta, quale privilegium Fiscus habet (saltem in causis civilibus) Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca pia &c. & ex probabili causæ aliarum favorabilis (nisi contraria praxis obstet) causæ usurarum restituendarum, causæ Matrimoniales, & quando agitur de salute animæ.

Qui autem in iudicio suam intentionem plenè probavit, non potest compelli, ut id ipsum etiam juramento confirmet, non obstante contrariâ consuetudine, quæ non valet, uti patet ex *c. Sicut consuetudo. h. t.* cùm in tali casu juramentum fieret absque ulla causa, quod illicitum, & irrationabile est, ita ut etiam licet possit Actor juramentum iudiciale sibi delatam recitare, si intentionem suam plenè probavit, cùm juramentum

*Erking. Compend.*

hoc adhiberi non debeat litis decisiæ causæ, sed litis decidendæ.

## §. V.

*De illis, quæ probata sunt in genere, & in specie de probatione ætatis.*

PROBATIO in genere versatur circa facta incerta, & de quibus dubitatur (cùm notoria probationem non requirant, *c. Super eo. 3. De testib. cogend.*) quæ in iudicium deducta sunt, & ad causam pertinent, & probari possunt.

In specie verò de ætate si dubitetur, ille probare eam debet, qui suam intentionem vel exceptionem fundat super ea, prout etiam colligitur ex *c. In presentia. 8. h. t.* nisi ex sola corporis constitutione inspecta probabilem coniecturam habens de ætate Judex, onus probandi in alium transferat, vel nisi probato actu principali, ad cuius valorem necessariò certa ætas requiritur, accessoriè & ex præsumptione ætas sufficienter probata sit, duobus enim modis ætas probari potest, videlicet, per testes scilicet qui partui v. g. interfuerunt &c. & præsumptivè, per iudicia scilicet, & coniecturas ex constitutione corporis, ex Instrumento Matrimonij &c.

## §. VI.

*De probatione Virginitatis.*

EX *c. Proposisti. 4. h. t.* habetur, quod Virginitas Mulieris satis probetur per proprium illius juramentum, & testimonium septem mulierum (aut pauciorum etiam); modò fuerint honestæ, bonæ famæ, & in hac re petitz) quæ ex aspectu corporis eam Virginem esse, testentur, quamvis de contrario juret Ma-

Q9

KIUS

ritus V. G. cum hujus juramentum semiplenam tantum faciat probationem, illius autem juramentum cum testimonio mulierum plene probet, nisi tale Mulierum testimonium per alias æque bonæ qualitatis Mulieres fuerit reprobatum. c. *Causam* 14. h. t.

## §. VII.

*De probatione, sive modo probandi filiationem.*

**D**ifficilis probationis est filiatio, & plerumque pro parte patris ex præsumptionibus tantum desumitur; talis autem præsumptio est, primò si quis natus sit ex conjugatis in una domo cohabitantibus (etiam si constet, quòd eodem tempore cum aliò etiam viro adulterij consuetudinem habuerit uxor) pro legitimitate in favorem filij, & Matrimonij præsumente jure, ita ut hæc præsumptio etiam ad illum casum extendatur, quo uxor extra domum quidem Mariti habitavit, hic tamen sæpius ad illam accesserit, vel si nata fuit proles ex concubina, quam quis domi habuit, quo in casu illegitimus quidem filius habebitur, ex hoc tamen Patre genitus præsumetur, præsertim si patrem hujus confessa fuit Concubina, & filium agnoverit Concubinarius, juxta c. *Per tuas* 10. h. t. Hinc secundò præsumitur quis filius esse horum, vel hujus parentis, si ab his vel horum aliquo filius appellatus sit, & ab eis ut filius habitus, tractatus, & educatus sit, tum enim constituitur in quasi possessione filiationis, ut verè filius horum, aut hujus præsumatur, donèc contrarium probetur, ut ait *Glossa in cit. c. Per tuas* 17. *Nominato*; Et quamvis hæc ipsa *Glossa* rectè notet, solam nominationem

filij non facere aliquem filium, quòd filiatio à natura provenit, si tamen nominatione tali ea concurrant, quòd non faciliè nisi filio à Patre exhibentæ paternam illi curam adhibendo, nominando eum in judicio, in instrumento publico &c. filium surum, annotando natiuitatis diem inter alios liberos de factis probant filiationis quasi possessionem, ita ut huic non obstit, etiam si pro modum à Patre v. g. repudietur, rejiciatur, ac negetur esse suus filius, quia jus acquisitum filio ab eo, si factò aufferri non potest, & nimis dignum est, ut ait Pontifex, quòd quisque voce dilucidè contestatus est, eundem casum proprio suo testimonio infirmare, etique resistere. Tertia quoque conjectura est, ex qua possit probari filiatio, communis fama, & quæ præsertim domesticorum, consanguineorum, ac vicinorum, quòd talis sit communiter nominatus, vel habitus, ac tractatus ut filius, cui conjecturæ multum adminiculatur conjectura, quæ desumitur ex effigie & similitudine hominum cum alio, quæ quidem conjectura, si sola sit, nihil probat, & fallax est, si tamen accedat alij præsumptioni in iure tractatæ, non omnino vana est.

## §. VIII.

*Quomodo probandi sint consuetudines seu limites locorum?*

**P**er libros antiquos, testes, instrumenta &c. alia adminicula probati sine dubio. c. *Cum causam* 13. patet, Quamvis tamen libri & scripturæ antiquæ privatæ plenam fidem semper non faciant, (nulli enim communiter à Maioribus nostris fides illis haberi



habita, aut in loco publico asserta, & repetere fuerint) tribuitur tamen his aliqua veneratio, & auctoritas probandi, & quidem fidem plenam faciunt in causis nulli præjudicantibus, aut ex qui præiudicii, ut quod Ecclesia sit consecrata, infans hic sit baptizatus &c. cum in talibus casibus nemo præsummi possit, quod fallere velit, & quod in talibus antiquis factis leuiore probationes sufficiant. Quamvis autem libri antiqui habeantur, quamvis aliqui velint, hominum memoriam debere eos excedere, alii 40. annos requirant, rectius tamen hoc prudenti Iudicis arbitrio relinquatur.

## §. IX.

*An, & qualiter fidem faciant, seu probent littere Episcopi, vel alterius Ordinarii Iudicis, & quomodo reprobari possint per Testes Instrumentum, tanquam falsum nomine Collegii seu Universitatis confectum?*

**A**D primam questionem 2. Litteras tales fidem facere ad probandum aliquem excommunicatum, si non magnum exinde præiudicium alteri inferatur, & subscriptione illius aut sigillo munitæ sint, donec oppositum probeatur. c. Post cessionem 7. h. t. ob auctoritatem scilicet, & specialem ipsi debitam reverentiam.

Ad secundam questionem 2. quod singulæ personæ alicujus Collegii vel conventus possint sub juramento reprobare Instrumentum falso sigillo obsignatum, & confectum nomine Collegii seu Universitatis. c. Tertio Loco s. h. t. Sunt enim in tali casu singuli in favorem suæ Eccle-

siæ contestes, quod fieri potest, cum causa Collegii non sit principaliter causa singulorum, sed causa Universitatis.

## §. X.

*Quam vim probandi habeat narratio facti alicujus in Literis sedis Apostolica?*

**P**Lenè probare talem narrationem, si super illâ, gratis, aut intentio Papæ fundetur, & versentur in causis beneficiabilibus, aut spiritualibus graviter alteri non præjudicantibus ex Clement. Literis. Vnica h. t. patet. Quamvis enim regulariter narrationi tali alicujus inferioris non credatur, ob specialem tamen prærogativam Papæ & ob festigium tantæ dignitatis tali narrationi à Papa suis literis insertæ creditur, si tamen factum proprium narretur; si enim factum alienum narretur, super quo se fundet gratia, & intentio Papæ, plenam quidem fidem facit narratio talis, ita tamen, ut contra eam admittatur probatio. Si verò intentio Papæ super his, quæ in literis illis narrentur, non fundetur, tum nihil probant, ut patet ex c. si Papa. 10. De privileg. in 6.

## §. XI.

*De probationibus, & aliis actis Iudicii in scriptum redigendis; & de actis prioris Iudicii exhibendis aliis Iudicibus, ad quos causa pervenit.*

**U**niversa Iudicii acta ex mandato Iudicis conscribenda esse, ex c. Quoniam contra 11. h. t. patet, à Notario sci-

Q92

sci-

scilicet, vel si hic haberi non possit, ab aliis duobus viris idoneis, qui Notarii locum suppleant, ad cavendas scilicet multas Litigantium tricas, & fraudes Judicum, nisi causæ essent valde exiguæ, & leves, ubi vix præjudicium aliquod timeri potest. Neque tamen ad acta iudicii probanda præter Iudicem & Tabellionem, qui in præsentia Iudicis, & ex huius mandato ea scripsit, alii testes requiruntur, cum utriusque officium sit publicum, & ex consuetudine tantum ad sententiam definitivam testes alii adhibentur.

Quod si verò causa ad alium Iudicem devolvatur, acta & processus prioris iudicii ei exhiberi, & ad eum transmitti debent, prout habetur in *c. Causam 11. de testib. & ex c. Cum bona 15. h. t.* desumitur, ita ut fidem faciant etiam in altero iudicio, inter easdem personas, & in eadem causa. Sive sint acta ordinatoria iudicii, sive sint acta probatoria, seu instructoria causæ, & ad merita litis, ejusque decisionem spectantia, nisi per lapsum temporis, aut absolutionem ab observatione iudicii, instantia iudicii precepta sit.

## §. XII.

*Quomodo, quando, & ubi facienda sit probatio, & quis sit finis illius, & effectus.*

Fieri debet probatio secundum formam Libelli, cum secundum illam pronuntiandum sit, & consequenter Iu-

dex secundum Libelli formam instrui debet, & moveri; & hinc clara etiam debet esse, & certa, & in questione (specie) non sufficit probare genus, sed species probari debet, sive fiat in loco iudicii, sive extra, ubi Iudex testes recipere vult. Facienda autem est ordinariè post litem contestationem, ut supra dictum, ita tamen, ut prius probetur Actoris intentio, quam Rei exceptio, cum Actore non probante absolvens sit Reus (saltem ab observatione instantiæ) etiam si nihil egerit, neque publicata testimonia, & postquam causa conclusum est, admittenda est probatio super eisdem articulis, promittitur ex *c. Intrauit 6. h. t.* (nisi super articulis de novo emergentibus, ut supra dicitur) cum per talem in causa conclusionem censeantur partes renuntiare anterioribus probationibus.

Finis autem probationis est, Iudicem fidem facere, & ut intelligat licet, quatenus sententiam ferre debeat, cui faciendæ probatio, & hic secundum allegata probata, sententiam ferre, ne licentia suam, condemnandus in id, quod Litigantis interest. Neque est contra probationem factam purgatio canonica admittenda, cum innocens ille in foro esse non possit, qui plenè probatus est, esse nocens. *c. Ad nostram 12. h. t.* & sæpe ut sic crimina impunita reiquerentur cum magno Reipublicæ damno.



## TITVLVS XX.

## DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Præcipua probationis species est, quæ fit per testes vivâ voce deponentes; sunt enim testes, qui de factis aliquo legitime vocati testimonium dicunt, attestaciones verò sunt ipsorum depositiones; & quamvis testium alii sint judiciales, alii instrumentarii, alii testamentarii, hic tamen potissimum agitur de testibus judicialibus, qui ad rei alicujus controversam fidem faciendam in judicio adhibeantur, de quibus.

## SECTIO I.

## De qualitate Testium.

## §. I.

Quinam sint habiles, vel absolute inhabiles ad testificandum?

Testes generatim loquendo debent esse idonei, & fideles non conducti pretio, & ut in *c. Placuit i. h. t.* statuitur, Jejuni testimonium ferre debent. Censentur autem idonei, qui per Canones vel Leges non arcentur à testimonio ferendo, & plerumque dicuntur omni exceptione majores. Fideles autem hic dicuntur illi, qui fide digni sunt, & à moribus probati, ut dicitur *Can. placuit. causa. 4. q. 2.* Pretio conducti censentur illi, quibus pro testimonio ferendo pecunia v. g. etiam non perenti oblata fuit. Jejuni verò ut ferant testimonium, de honestate quidem est, & consilio, ratione juramenti, quod à testibus præstandum

est, non autem de necessitate & præcepto; & hinc attendenda est consuetudo, quæ tantum attendit, ut non sint ebrii; sed sobrii, qui testimonium ferunt.

Prohibentur autem de jure, quò minus testimonium simpliciter ferre possint primò impuberes sive pupilli, qui ob infirmitatem judicii absolute à testimonio ferendo excluduntur, (excepto crimine læsæ Majestatis) quamvis puberes facti de illis, quæ tempore impubertatis, cum discretionem jam haberent, viderunt, possint testari. Secundò excluduntur furiosi, quia mente carent, ita ut neque de illis testari possint, quæ furoris tempore contigerunt, quamvis ad se postmodum redierint. Tertio excluduntur regulariter cæci, quia non sufficit semper in teste de auditu tantum, sed sæpè debet de visu deponere, nisi talia essent, de quibus testificari debet, quæ non visu, sed auditu percipiuntur. Quarto excluduntur muti & surdi simul, quia non possunt animi sui sensum commodè exprimere. Quintò non admittuntur ad testimonium ferendum servi strictè dicti (ne ex metu Dominorum veritatem magis suppressant, quàm aperiant) nisi in exceptis criminibus, in quibus etiam inhabiles testes admittuntur, quamvis non sine omni exceptione majores.

☉(o)☉

Qq 3

§. II.

## §. II.

*An, & quâ ratione infames, criminosi, perjuri, accusati de crimine, vel excommunicati repellantur à testimonio dicendo in iudicio?*

**I**nfames infamiâ juris inhabiles sunt, ad testimonium in iudicio ferendum, tam in Criminalibus, quàm Civilibus, uti patet ex *c. Testimonium 54. h. 8.* cum enim infamibus sine interdicti actus legitimi, testimonium autem fette in iudicio inter actus legitimos reputetur, consequenter prohibiti hi illis erunt, ita ut nec contra alium eâdem infamiâ laborantem, ut testis admittatur, nisi in causa criminum exceptorum, aut in subsidium veritatis, quæ aliter haberi non potest (ita tamen, ut sine tormentis credendum illis non sit) vel fame suæ sit restitutus, aut occultâ tantùm infamiâ laboreat, aut infamiâ facti tantùm, qui à Iudice ex officio vel parte opponente à ferendo testimonio repelli potest.

Neque admitti debent ad testimonium in iudicio ferendum criminosi de gravi crimine ipsis objecto convicti, uti habetur in *c. Super eo. 13. & in c. Testimonium. 54. h. 1.* Et quamvis si pœnitentiam egerit de crimine, & sit emendatus, in causa Civili pro teste admittatur criminosis, si nullâ juris infamiâ laboreat, si tamen in crimine perseveret, nec in Civilibus ut testis admitti debet, cum non sit credendum contra alios illis, qui criminibus implicantur; in Criminalibus verò criminaliter intentatis, nec emendatus in testem admittitur, nisi post publicam, quæ saltem per triennium constanter jam duravit, pœnitentiam &

emendationem, vel si ad probationem tantùm innocentiam Rei testimonium ferat; vel si pars litigans ad videndum testes productos nihil contra eorum crimina opponat, neque Iudex ex officio repellat, aut necessitas eos admittere prebeat, quamvis in nullo horum casuum sint omni exceptione majores.

Perjuri, qui falsum juramento confirmaverunt, ad ferendum testimonium non admittuntur, nec in causa Civili, nec in causa criminali, quantumvis sint emendati, & de perjurio pœnitentiam egerint (quia qui semel perjeravit, pœnitentiam contra se habet, ad perjurium iterum committendum,) ita ut etiam in criminibus exceptis perjuri in testes non admittantur, excepto crimine hæresis, in quo, in favorem Fidei etiam perjuram contra se, quàm contra complures testes admittantur, modò ex manifestis indicis appareat, quòd non ex levitate animi, aut odio, sed ex zelo justitiæ, & amore Fidei deponant.

Accusatus de crimine, gravi scilicet pendente accusatione, non debet admitti ad testificandum in alia causa criminali, præterquam in criminibus exceptis *c. Non debet 56. h. 1.* Censetur enim, dum accusatio pendet, gravata illius existimatio, cum tamen testes in causa criminali debeant esse omni exceptione majores; ita ut nec pendente appellatione, si de crimine condemnatus appellavit, in causa criminali ad testificandum admittatur; quamvis accusatus admitti possit, ut testis, pendente accusatione, in causis Civilibus, vel civiliter actis, non tamen, ut omni exceptione majori faciens semiplenam probationem, Ex

Excommunicati denique (majore excommunicatione) ad testificandum in judicio admitti non debent, quia inter infames numerantur, prout colligitur etiam ex o. *Veniens. 38. h. l. i. junctâ Glor. sâ final.* & cavetur etiam hoc expressè in c. *Decernimus 8. De sent. ex communi in 6.* Ita tamen, ut excommunicatus non toleratus sive vitandus à Iudice repelli debeat, etiam parte nihil opponente, si autem vitandus non sit, possit quidem Iudex à testificando eum repellere, si excommunicatio publicè nota sit, non tamen teneatur, nisi pars adversa de excommunicatione contra talem testem excipiat, quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, & cum hoc communicare possit, non autem cum illo, pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato non vitando communitate possit, non tenetur hoc favore sibi concessio uti, & consequenter à testificando eum repellere potest. In crimine tamen hæresis ob favorem Fidei, ad probandum hoc etiam excommunicati admittuntur.

## §. III.

*Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis?*

Primò, non admittitur testis in judicio patens pro filio, aut filius pro parente, propter naturalem amorem & affectionem; & hinc extenditur hæc assertio etiam ad matrem, ad omnes ascendentes in linea paterna & materna, ad filios naturales tantum, spurios & incestuosos, ad filios adoptivos, si in patris adoptantis potestate sit adoptivus, imò nec vitricus pro privigno, nec privignus pro

vitrico testari potest, &c. Plures tamen etiam casus referuntur, in quibus filii pro parentibus, aut parentes in causis filiorum testes esse possunt, quos vide apud Auctorem hoc loco relatos, quamvis non in omni casu sint semper omni exceptione majores. Ob hanc tamen etiam naturalis affectionis rationem, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito testificari potest regulariter, nec sponsus pro sponsa, aut concubinarium pro concubina, nec consanguinei aut affines, in causis criminalibus vel Civilibus arduis, pro consanguineo, aut affine in tertio saltem gradu, ut testes admittuntur, nisi modici tantum præjudicii causa Civilis esset, aut in causa Criminali ad necessariam Rei defensionem, & ostendam innocentiam adhiberetur illius testimonium, aut partes expressè contentæ essent, cum vel sit exigua erga alterutram partem testis talis affectio, vel utriusque æquè affectus sit, &c.

## §. IV.

*An & in quibus casibus testes domestici produci possint, vel familiares, vel amici, & an etiam subditi possint testimonium dare pro suis Dominis?*

Triplex dicitur dici possunt aliqui domestici. Primò strictè, sicuti se habent Maritus & Uxor, & nati ex illis liberi, & qui sunt sub patria adhuc potestate; de quibus, quòd pro se invicem testes esse non possint, priore §. dictum. Secundò domestici dicuntur in latiore sensu, omnes etiam famuli & famulæ pretio & mercede conducti, qui in eadem domo sub potestate unius patrisfamilias habitant

tant, & hujus imperio aliquo modo subsunt. Tertio domestici dicuntur in latissima tamen acceptione, qui in eadem domo simul convivunt, & convalescunt, quos alii appellant etiam familiares, & commentales.

De secundi ergo generis domesticis loquendo, quod testes pro Patrefamilias aut Domino esse non possint, nec in civilibus, nec in criminalibus, summitur ex utroque jure *l. etiam 3. Cod. h. t. & ex c. In lueris 24. h. t.* ob periculum scilicet quod in tales personas facile cadit, ne dum Dominis parere, & favere volunt, falsa in deponant, & pejerent. Si tamen defuerit esse domesticus tempore depositionis, ita ut allata ratio locum in eo non habeat, repelli non potest, nisi fraus aliqua, quae in illius dimissione praesummi possit, aut circa domesticum talem honestas, & integritas omnem falsi suspicionem tollat; aut producat tantum ad innocentiam Domini accusati vel suspecti probandam, aut sciens Adversarius Reus, testes contra se productos esse domesticos Actoris, nihil contra eos excipiat; vel sit utriusque partis domesticus, aut testetur pro Domino contra alium Domesticum; aut producat a Domino in causa difficultis probationis, in subsidium aliorum testium, qui haberi non possint, &c. quamvis in talibus etiam casibus non sint integre fidei testes, & omni exceptione majores.

Tertii generis domestici, qui familiares, & commentales dicuntur, possunt quidem produci, & admitti debent ut testes in causis eorum, quibus in eisdem modis absque subjectione tamen aliqua convivunt, & in eadem mensa conve-

scuntur, integri tamen omnino, & omni exceptione majores non sunt, nisi maxima vitae probitas omnem suspicionem tolleret. Pari modo amicus pro amico testari potest, de ipsius tamen fide magis minusve dubitari potest, pro qualitate amicitiae, & iudicis arbitrio; & quavis idonei testes non videantur, quibus imperari potest, a producente eos, si producente testentur, si tamen imperi hic talibus tantum possit ratione temporis alicujus Jurisdictionis, admittere cum tanta in tali casu suspicio esse non possit, omni tamen exceptione majores non sunt.

## §. V.

*An socius criminis, vel bonarius possit esse testis pro socio, vel contra illum?*

Quamvis universaliter loquendo, vel contra socium criminis non habeat in testem adhiberi socius criminis, juxta *c. Veniens 10. h. t.* eo quod talis vilis persona, infamis, & criminosa sub sit periculum falsae depositionis, in illis tamen casibus, in quibus de loco examinari potest Reus, juxta superius dicta, etiam in testem admittitur, & depositio illius, sicuti alterius vilis & infamis personae, fidem, sed valde exigentem habet: prout etiam in crimine simonia haberi potest, si civiliter tantum, ad privationem scilicet beneficii agatur, & hic quoque statum socius quidem criminis, non testem muneris fuit, nullum ex sua cooperatione emolumentum accipiendo, prout habetur in *c. Mediatores 1. h. t. in d.*

Sicuti autem socius criminis non potest in testem pro socio bonarius

ad testificandum pro illo, siue sint socii omnium bonorum, siue partis tantum, aut Reiparticularis utrique tamen communis, quia ut sic in propriam utilitatem deponeret; secus tamen est dicendum, si non agatur de re utrique communi, in hoc enim casu socius in una re non prohibetur esse testis pro socio in diuersa re, aut pro re diuisibili, cum ut sic nihil ex tali depositione specialis commodi haberet.

## §. VI.

*Qui prohibeantur dicere testimonium contra certas personas?*

**P**rimò prohibetur inimicus contra eum testimonium ferre, cum quo gerit inimicitiam. *c. Repellantur. 7. c. Meminimus. 13. c. Cùm oporteat 19. de accusat.* ita ut ne in criminibus exceptis hi possint contra tales esse testes (quia meritò ob malevolentiam falsum depositurus presumitur) si inimicitia sit valde gravis & capitalis, & nondum sit reconciliatus inimicus, neque sit fraude procurata inimicitia, aut non deponat in favorem inimici, vel contra producentem, vel non sit utrique parti pariter inimicus, nec à parte, contra quam producit approbatus, quamvis neque in his casibus sit omni exceptione maior.

Secundò Laicus in causa criminali, quæ criminaliter agitur, non admittitur regulariter ad testimonium ferendum contra Religiosum *c. De cetero 14. h. r.* Non tantum quia plerumque Clericis infesti sunt Laici, ut ait Pontifex in *can. Laicos 5. caus. 2. q. 7.* Sed quia decens non est, ut stato inferior contra statum superiorem in causa criminali testimonium ferat. Et quamvis ad accusandum admittantur, si

suam vel suorum injuriam prosequuntur, ut ait *in cu. c. Pontifex*, neque tamen in his casibus ad testificandum, si criminaliter contra eos agatur, admittendi sunt. Cùm condemnatio non sequatur ex accusatione, sed ex probatione, excipiuntur tamen etiam crimina excepta hæresis, v. g. læsæ Majestatis, sodomiz, simoniæ, &c. aut alia notoria & scandalosa, in quibus Laicus etiam contra Clericum testari potest; prout etiam admittitur, si Clericus sit de crimine infamatus; si aliunde veritas haberi non potest, si in favorem Clerici deponat; si famæ tantum probatio necessaria sit; si de crimine agatur civiliter; vel si agatur per modum denuntiationis aut inquisitionis &c. neque tamen semper erit omni exceptione maior. Quin imò nec Clericus in causa criminali criminaliter acta contra Laicum testis esse potest, propter periculum irregularitatis incurrendæ, si agatur causa sanguinis; & quamvis in civilibus, aut si de crimine civiliter agitur, ubi nullum periculum est pænæ sanguinis, contra Laicum Clericus testari possit, fieri tamen hoc debet coram proprio Episcopo, vel eum hujus licentia coram Judice seculari, vel in causa Ecclesiastica coram alio Judice Ecclesiastico.

Tertiò Judæi, pagani, hæretici aliique infideles, & qui à fide Catholica defecerunt, ad testificandum contra fidelem Catholicum idonei non sunt; quia sunt de falsitate ex jure præsumptione suspecti, neque fidem merentur, qui fidem abjecerunt; quod multi etiam extendendum ad Judæos aut infideles recentiter conversos &c. purant, in super admitti eos in testes non posse, etiam si Christiani expressè consentiant. In criminibus

R r

tamen

tamen exceptis, & in quibus casibus veritas aliter haberi non potest, aut si contra alios Judæos aut infideles testentur, etiamsi ab orthodoxo producantur, contra eos &c. admitti possunt, non sunt tamen omni exceptione majores. Catholici verò testimonium contra Judæum aut infidelem nec in causis civilibus nec in criminalibus rejicitur, ita ut nec per privilegia à Principibus concessa Judæi tueri se possint, quò minus per testes Christianos convinci possint *juxta Clement. i. h. r.* Cùm talia privilegia, ut ait Pontifex, Christianæ Religionis probrosa sint, & adversa; & æqualitas in judiciis servanda Actorem & Reum concernat, non autem testes.

## §. VII.

*Qui prohibeantur ferre testimonium in certis causis?*

PRIMò Mulier potest esse testis in causis Civilibus, tam in foro Civili quàm Canonico, etiam in causis matrimonialibus, quæ inter valde arduas censentur, ut colligitur *ex c. Super eo 13. h. r.* ita ut sit integræ fidei, & semiplenam probationem faciat, si una tantum taliter testetur. (ita tamen ut virorum testimonia mulierum testimonijs præferantur) nisi causa sit feudalis, in qua mulieris testimonium non admittitur, prout expressè habetur in *c. Unico. Qui testes sunt necessarij ad novam investituram Lib. 2. feud. Tit. 32.* (Cùm in his causis feudilibus summæ opinionis testes requirantur) nisi femina illustis esset, quæ & ipsa sub se feudum & vasallos haberet. Et quamvis de jure Civili & Cæsareo mulier etiam in criminalibus testis

esse possit, nisi sit causa valde gravis & ardua, vel ubi agitur ad pœnam mortis vel mutilationis, quibus casibus saltem integræ fidei non erit testis mulier. In omni exceptione major, de jure tamen Canonico in causis criminalibus si criminaliter ad pœnam publicam agatur, testandum mulier non admittitur. *ex Mulierem. 17. juncta Gloss. V. Non respicienda causa 33. q. 5. &c.* Ob naturalem mulierum mutabilitatem, & fragilitatem, ac inconstantiam. Nisi de crimine civiliter tantum agatur per modum exceptionis *c. Tam Literis 33. juncta Glossa V. Faminas h. t.* aut ad procedendum ex officio per modum denuntiationis aut inquisitionis, *c. Quoniam 7. h. r.* aut si criminaliter agatur, si tamen crimine excepto, aut non possit aliter haberi veritas, vel testetur tantum ad nocentiam Rei ostendendam &c.

Secundò. Puberes seu Minores in causis civilibus testes esse possunt, præterquam si illæ arduæ sint, non tamen in criminalibus, nisi agatur de crimine excepto, aut veritas aliunde haberi non possit, aut procedatur tantum per inquisitionem; Neque tamen in talibus casibus admissi plenam probationem faciunt, ob præsumptionem judicij nondum satis maturi.

Tertiò. Personæ pauperes, & conditionis admittuntur quidem, ceteris paribus, in testes in causis civilibus minus arduis, cùm testis idoneus non tam ex facultatibus, quàm ex moribus & vitæ probitate desumatur, non tamen in civilibus arduis, & criminalibus ad cavendum periculum falsæ depositionis, quàm suspicantur jura per promissio-



nem, aut datam pecuniam facile à paupere tali, aut vilis conditionis homine obtineri posse; & hinc in quocunque casu admittatur talis, omni tamen exceptione major non est, quamvis per torturam purgata sit falsæ depositionis, & lucri captandi causa suspicio; si tamen arbitrio Judicis, aut partis omnis suspicio fraudis etiam penes pauperem abesset, aut fides pauperis per alios plures testes idoneos iuaretur, posset etiam illius testimonium ut integræ fidei admitti, cum nec sola paupertas, nec sola vilis conditio personæ vitio illi verti debeat.

## §. VIII.

*An, & quæ ratione prohibeatur  
quis testimonium ferre in propria causa.*

**N**eminem in propria causa testem idoneum esse, communis & generalis regula docet, ob suspensionem scilicet sinceræ depositionis in propria causa propriam utilitatem spectante; & ob hanc causam neque ille testis idoneus videtur, qui similem causam in iudicio agit, propter quam in testem hic & nunc producit, nisi aut protestatio prævia de nullo proprio commodo querendo in tali testificatione eum idoneum faciat; vel agatur tantum de modico emolumento, vel non possit aliter haberi veritas, vel testetur talis tantum in causa suæ communitatis.

Sed nec in illa causa potest quis esse testis, quam ad iudicium ut Actor vel accusator detulit, ne probando talem suam actionem, aut accusationem in propria causa testis esse censeatur; & quamvis si processit per viam denuntiationis

charitativè, non tam ad puniendum, quam emendandum peccatum, possit in illa causa testis esse juxta *c. In omni 4. h. t.* Si Judex tamen judicialiter procedat, ad puniendum denuntiatum, ad deponendum, v. g. ab officio aut beneficio, tunc in criminibus gravibus, aliisque magni præjudicii causis non potest esse testis denunciator, quia in talibus casibus non est recedendum à communi juris regula, quod idem Accusator seu Actor & testis esse non possit, nisi qui publicæ auctoritatis ad denuntianda crimina ex officio suo sit deputatus (cui merito major fides haberi debet, quam alii cuiusque denuntiatori) aut agatur de peccato evitando, neque possint alii testes haberi.

Judex autem in ea causa, quæ coram ipso adhuc pendet, non potest in testem produci, ob nimiam pro causa tali in suum honorem decidenda affectionem; & si agatur apud alium Iudicem appellacionis v. g. de justitia, vel injustitia late à priore Iudice sententiæ, non potest produci in testem, ne in causa sua ob affectionem ad sententiam à se latam sit testis quodammodo, quamvis in priore casu, si necessitas sit, ne pereat jus partis, ob defectum probationum, peti possit à parte, quæ illius testimonio indiget, ut alius ipsi Iudex substituatur, & sic ipse in tali casu testari possit, prout colligitur etiam ex *c. Dilecto 40. h. t.* quin etiam ex *c. Cum Dilectus 32. de electis.* colligitur, quod testis esse possit Iudex in illis, quæ aliis, quam Iudicibus cognita esse non possunt, cum in aliis etiam casibus testes suspecti admittantur, ob necessitatem, seu inopiam probationis; & ex *Glossa communiter recepta in cit. c. Dilecto*

Et *V. recusatis h. t.* habetur, quod Ordinarium possit coram suo Vicario testimonium dicere in causa, quæ coram Vicario agitur, & ex potiore ratione potest etiam delegans coram delegato testimonium ferre, cum in neutro casu in causa coram se pendente, sed alteri delegata testimonium dicat.

## §. IX.

De testimonio ferendo ab Advocato, vel Procuratore, Hærede, vel Legatario, & aliis quibusdam.

**N**equè Advocatus, neque Procurator in ea causa, in qua fuit Advocatus, vel Procurator, in testem admittendus est, uti habetur ex *can. Si testes 3. §. Patroni causa 4. q. 3. & ex c. Insuper. 6. h. t. junctâ Glossâ.* In calu (propter præsumptam scilicet affectionem ad hanc causam) etiam finito officio, aut si velit deponere, aut deposuerit officium Advocati aut Pronuntiatoris in tali causa, in secunda v. g. instantia, sive in judicio appellationis, uti habetur ex *c. Romana 7. h. t. in 6.* nisi contra eum produceretur in testem, cui in prima instantia favit, cum esset in tali casu ratio affectûs ad causam, prout etiam non habetur, si nondum cœpit agere in judicio, aut si pro illo quidem, cujus Advocatus v. g. in una causa fuit, in alia tamen causa in testem producitur. Et cum allata ratio etiam probet contra Curatorem, vel Tutorem in causa pupilli sui, aut minoris, contra Administratorem, Syndicum, & Actorem in causis cœptorum negotiorum ab illis ageendorum, &c. consequenter etiam

de his intelligi debet, quod dictum de Advocatis & Procuratoribus.

Mediator verò, sive ille, qui inter contrahentes v. g. conciliator, & mediator quasi fuit, non potest ordinariè in negotio, cujus mediator fuit, testis esse, rationem sæpius jam allatam, si tamen utraque pars sive litigantes consentirent in eum, ut testem, in tali negotio potest invitus etiam compelli, ut sic testis, *per Glossam receptam in c. 1. V. Censuræ in 6.* vel si favor matrimonii ab eadem ficatione pendeat, aut admittatur, non probandam validitatem contractûs, & tantùm ad probandam circumstantiam aliquam, vel ad infirmandum contractum, cum ratio affectûs in talibus casibus patet, vel nihil probet.

De Hærede aut Legatario quod dicendum sit ratione testamenti, in quo Hæres vel Legatarius scriptus est, *per Lib. 3. De Testamentis* dicitur, et per locum etiam patebit, quod in judicio pro valore testamenti asserendo non admittatur in testem Hæres, aut Fideicommissarius universalis, admittatur autem Legatarius, seu Fideicommissarius particularis.

De venditore res certa est, quod emptore in causa rei venditæ testis esse non possit, quia restatur ut sic in proprium interesse, cum evidè re venditæ talis venditor ad pretii, & damnationis quæ patitur emptor, restitutionem. Donans verò pro donatario, & in favore donatarii testis esse non potest in causa donatæ, ob affectum, quem habet ad stabilitatem donationis, sed nec fidei-jussor testis esse potest in causa, in qua fidei-jussit, contra creditorem debitorem.

pro quo fidei iussit, neque principalis debitor in causa sui debiti, cum ubique proprium interesse interuenit.

## §. X.

*An in causa Universitatis, vel Collegii is, qui est pars, vel membrum ejusdem, possit testimonium ferre?*

**R**espondetur affirmativè, juxta c. Insuper. 6. & in c. Cum Nuntius 12. h. t. quod verum est de Collegio, seu Universitate, tam Seculari, quam Ecclesiastica, ita ut quilibet in particulari, etiam si talis communitatis pars sit, in testem pro sua communitate admitti debeat, cum non ferant in propria causa testimonium, sed pro jure Universitatis, quod distinctum quid est à jure singulorum: Et quamvis ex tali pro Universitate testimonio commodum aliquod tales testes habeant, hoc tamen non censetur tantum, ut falsum depositurus in bonum suæ communitatis videatur talis honestus, & bonæ vitæ testis: quodd si enim magna singulorum utilitas conjuncta esset cum jure Universitatis, illorum testimonium, qui magnam exinde utilitatem haberent, non audiretur, cum in effectu hi agerent de proprio commodo; prout etiam non admittitur membrum Universitatis in causa criminali in favorem Communitatis, aut in causa Civili valde ardua, ubi testes omni exceptione majores requiruntur; neque admittitur talis pars Communitatis in favorem hujus deponens, si valde parva sit Communitas, cum hi tales potius inter domesticos numerandi sint.

De Episcopo verò aut alio Ecclesiæ Prælato dici quidem potest, quodd in causa suæ Ecclesiæ vel Monasterii in testem admittendus sit, prout patet ex inscriptione c. Insuper 6. h. t. Si tamen Prælatus Procuratorem in judicio constituat, qui suo nomine agit, non potest esse in ea causa testis, cum in tali causa actor principalis ipse Prælatus habeatur, & consequenter, neidem sit actor & testis, admitti in testem non debet, sicuti nec admitti debet in testem, casu quo Collegium non habeat, sed solus administrat, & solus agat, vel agat de redditibus suæ mensæ.

## SECTIO II.

*De numero, juramento, & depositione testium.*

## §. I.

*Quot testes requirantur ad legitimam probationem, & plenam fidem faciendam?*

**O**rordinariè ad probationem rei gestæ requiruntur, & sufficiunt duo testes idonei, & omni exceptione majores, tam in profanis, quam Ecclesiasticis, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, prout ex capite 17. & 19. Dentronomii habetur, & ex c. In omni 4. & c. Licet 23. h. t. Sunt quidem aliquæ causæ, in quibus de jure plures, quam duo, aut tres testes requiruntur, prout etiam patet ex Can. 2. junctâ Glosiâ V. Præsul. Caus. 2. q. 4. De consuetudine tamen hodie non omnia observantur: & quantumvis hac in re quoad numerum tes-

R r 3 stium

stium requisitorum multa possit consuetudo, non potest tamen facere, ut unus testis, cuiuscunque sit dignitatis, plenè probeat, cum talis consuetudo apertam occasionem præberet multis calumniis, perjuriis, iniquis oppressionibus &c. nisi gravis valde necessitas, aut evidens utilitas consuetudinem talem, aut statutum tale exigeret, prout de facto in causis judicialibus levioribus, nihil tertio præjudicantibus, in causis summariis, in causis quibusdam non judicialibus; cum agitur de evitando peccato; in denuntiatione inhabilitatum ad Ordines suscipiendos, vel ad beneficia Ecclesiastica obtinenda; ad probandam Rei innocentiam; vel casu quo partes consentiant, ut unico testi plena fides habeatur; vel hic sit Officialis, ad denuntiandum constitutus; vel de proprio actu testetur &c. unius testis testimonium sufficit; in genere tamen etiam dici potest, quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione major semi plenè probat, de eo quod in iudicio deponit, & sufficientem præsumptionem facit ad inquirendum, citandum, & torquendum etiam reum, & conjunctum cum aliis indiciis & præsumptionibus plenam fidem facere potest saltem in civilibus causis; & quamvis unicus testis, etiamsi fide dignissimus sit, testis omnino inhabilis defectum non suppleat, putant tamen aliqui per unius superabundantem fidem aliorum testimonium minorem habilitatem suppleri posse, quia quod imperfectum est, per aliud suppleri potest, non autem quod omnino nullum est.

## §. II.

## De Iuramento Testium.

Quod testis non jurati qualibet modo ille sit, testimonium nihil prode in iudicio, ex utroque jure patet, *L. 1. de iurandi 9. Cod. h. t. c. Nuper 51. h. t. &c.* ad teste, antequam deponat, juramentum exigitur non calumnie, sed veritatis. Et quod nec pretio, nec amore, nec odio, nec terrore, nec ex alio simili motivo moveatur ad testimonium dandum; & quod depositiones suas ante eorum publicationem nemini sit revocaturus. Et quamvis in quibusdam criminalibus ea praxis observetur, ut testium depositiones fiant, antequam ab eis juretur, moneantur tamen exprèsse, ita deponant, ut possit postmodum depositiones suas juramento confirmare, depositio taliter facta nunquam ad sententiam ferendam (in re alicujus momenti) inducet iudicem, nisi juramento depositiones illæ fuerint confirmatæ, & quidem in iudicio, non extra illud. Debet autem testium juramentum esse corporale tangendo Evangelium, nisi consuetudo aliam praxim duxerit, aut specialia alicubi privilegia personæ aliquæ habeant, ita ut illis non juratis credendum sit. Potest tamen etiam ab adversa parte, contra quem testes producuntur, si exprèsse consentiat, remitti hoc juramentum, ut constat ex *c. Tuis 39. junctâ Gloss. V. de mittatur h. t.* (cum suppliciter assertio in proprium præjudicium contentum esse possit, in cujus favorem juramentum hoc introductum est) exceptis causis criminalibus capitalibus, & causis ma-

monialibus, ubi agitur de valore matrimonii, quia in hoc casu vertitur periculum anime, in illo casu publica vindicta juramentum exigit, prout etiam publicum bonum tale juramentum exigit, si agatur de beneficio Ecclesiastico.

## §. III.

*De forma & modo, quo testes deponere debent, & quomodo delicta occulta per testes probari possint?*

**T**estes presentes quidem in loco iudicii testimonium rogati, & à partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed vivà voce, de his, quæ aliquo sensu corporeo perceperunt, prout habetur in *Can. Testes 15. Caus. 3. q. 9. juncta Gloss. V. Qui noverunt* (ut Judex scilicet cognoscere possit, quo vulcu, quâ constantiâ vel trepidatione &c. testimonium deponant) nisi consuetudo, aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium &c. probantur quidem per testes juratos, sufficit tamen, si deponant de auditu, & de indicis, quæ criminalia comitantur, vel præcedunt, & communi famâ adjuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causæ major vel minor probatio sufficiat; multum tamen hac in re, quæ evidenter probari non potest, Judicis arbitrio relinquatur.

§. \* \* §.

## SECTIO III.

*De Testibus, de Credulitate, & singularibus; & testibus inter se, vel sibi ipsis contrariis.*

## §. I.

*An, & quam vim probandi habeant Testes de credulitate?*

**T**estes, qui non deponunt, quod rem sciunt proprio sensu perceptam, sed quod credant ita se habere, eò quod à Viris fide dignis audiverint, dicuntur testes de credulitate, quibus etiam si plures eorum sint, qui taliter jurati deponunt, fides tamen plena non habetur (quia testis de sua non de alia scientia deponere debet, de illis scilicet quæ ipse vidit, vel audivit, non de illis, quæ ex aliorum relatione didicit, quæ depositiones multis plerumque conjecturis, quibus periculum fallendi subest, nituntur) etiam si fama publica cum tali depositione concurrat. *Tam literis 33. h. t. juncta Gloss. V. de audiu.* Admittuntur tamen etiam testes de credulitate eorum, quæ ex aliis audiverunt, ad fidem aliquam faciendam in casu necessitatis, si suæ credulitatis rationem reddant; in causis quæ directè probari, & certè cognosci non possunt, ad probandam rei innocentiam, si concurrant alia adminicula, præsumptiones, vel indicia; si deponant super factis antiquis, ætatem hominum de factis viventium excedentibus, si deponant de illis, quæ facta sunt tempore pestis; si deponant ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem &c. saltem si agatur ad vitandum

tandum peccatum, & condiciones requisitas in *c. Licet 47. h. t.* habeant, ac deponant ab eadem persona, & quidem eodem loco ac tempore &c. audivisse se; in quibus casibus, si non in omnibus plena fides ex talium testium depositione habeatur, potest tamen infamato, & contra quem taliter depositum est, indici purgatio canonica, uti patet ex *cit. c. Tam Literis &c.*

## §. II.

*De Testibus singularibus; eorumque probatione.*

**C**ontestes in hac materia dicuntur illi, qui unum idemque factum testantur, singulares verò testes dicuntur illi, qui de diversis factis testantur; & hæc testium singularitas alia est adversativa, si dicta eorum testimonia, vel depositiones in se repugnent. Alia est diversificativa, si testes deponant de factis non contrariis sibi invicem, sed diversis & nihil se mutuo juvantibus, prout factum est in casu *Capituli Cùm tamen 16. h. t.* Alia denique testium singularitas est cumulativa, sive admniculata, si deponant scilicet testes de actibus diversis, se mutuo tamen adjuvantibus, quia depositiones talium testium diversæ quidem sunt, ad eundem tamen finem tendunt, ut si de possessione agri sit quæstio, & testetur unus vidisse se Titium seminasse agrum talem, alius verò testetur vidisse se, quòd Titius hunc ipsum agrum mensus fuerit. His notatis.

Certum est primò, testes ut plenam fidem faciant, non debere esse singulares, contraria, vel diversa prorsus testificantes, sed debere esse contestes de uno eodemque facto in specie testificantes,

prout habetur, ex *c. Bona 23. de elect. ex c. Cùm dilectus 32. eodem. junctâ Glor. rã. V. Probatio. & ex cit. c. Tam Literis junctâ Glor. rã. V. soli.* Ita ut non tantum in substantia delicti convenire debent testes, sed in tempore etiam & loco, ut plenam ad condemnandum reum puniendum pœnâ ordinariâ fidem faciant. Possunt tamen magnam contra Reum præsumptionem facere, si de diversis actibus diverso tempore factis deponant; & si deponant de diversis actibus, murò tamen se adjuvantibus, possunt non tantum in casibus plenè nonnunquam probare, sed etiam in causis criminalibus, ut loquatur de actu suâ naturâ successivâ, & iterabili, & hic testatur se hodie vidisse in tali loco v. g. Titium, alter testatur altero se die in eodem loco vidisse Titium &c. vel si testatur hic, ex oculis suo mo turbatum exire se vidisse Titium, alter testetur vidisse se fugientem Titium. Tertius testetur de oculis & longa inimicitia.

## §. III.

*An, & quando probent testes in se contrarij?*

**N**ihil probant, si duo tantum probentur, & hi sibi invicem contrariantur in suis depositionibus (cùm utriusque pro utraque parte contradictonis non habeatur testis tantum) nisi alter testis in tantum prævaleret alteri dignitate, & vitæ bonitate, ut Juramentum ipsi offerri posset à Judice in supplementum probationis, cùm sapè non tam ad materiam, quàm ad qualitatem testium attendendum sit, & hinc si plures testes

producantur, quorum aliqui pro certo quodam facto deponunt, & contestantur, unus verò his contradicat, non evertit quidem hic plenam probationem à contestibus habitam, si omnes illi fuerint idonei testes, potest tamen hic unus, si multum dignitate ermineat, multum minuire fidem illorum, ut juramento suppletorio locus esse possit. *c. In nostra 32. h. t.* Ex quo cap. etiam habetur, quòd in casu plurium pro utraque parte testium productorum Judex etiam attendere debeat ad qualitates depositionum, qui probabiliora & vero similiora deponant, & in casu aequalium depositionum pro reo in favorabili causa sit pronuntiandum, & universim etiam dici potest, quòd testibus nonnunquam pro una parte productis, qui contradicunt alterius partis testibus, plus credendum sit, veluti si testes unius partis sint melius informati. Secundò, si hi in specie deponant, cum alii tantum deponant in genere. Tertio, si dicti sui rationem hi reddant, alij verò non. Quarto, si ab honestiore & digniore persona producantur; illi verò à minus digna & vili. Quintò, magis etiam creditur testibus affirmantibus, quam negantibus, si deponant super negativa ad locum, tempus &c. quæ cadunt sub sensum, coarctata.

## §. IV.

*An, & quomodo testes contraria deponentes sint conciliandi?*

Conciliatio hæc testium dissidentium ad Judicem pertinet, qui ita interpretari eorum depositiones debet, si fieri possit, ut de diversis actibus videantur testati fuisse, ad vitandam contrarietatem & perjurium, ut colligitur ex *c. Cum Pirhing. Compend.*

*tu 16. h. t.* (delictum, enim non est facile præsumendum, aut puniendum. *juxta Regul. 2. de Regulis juris*) ita ut testes habeantur singulares, nihil sibi contradicentes, nisi manifesta sit contrarietas *juxta Glossa in c. In nostra 32. V. Adversa. h. t.* Debent autem testes dissidentes sic conciliari, etiam si ex parte una plures eorum sint, quam ex parte altera, quia eadem militat ratio etiam in hoc casu, ita ut in significatione minus propria alterius dictum summi nonnunquam possit, modò talis conciliatio sit probabilis, & non fiat ad effectum condemnationis in criminalibus, neque fiat circa actum non reiterabilem &c.

## §. V.

*An probeat testis varians, vel sibi ipsi contrarius?*

**T**estis varians, qui in judicio summario aut in negotio inquisitionis deposuit, si postmodum in judicio plenario & ordinario diversa deponat, super eodem facto, & coram eodem Judice, quamvis juratus deponat, non valet testimonium *arg. c. Per unam 10. De probat.* Cum enim veritatem se dicturum sponderit, aut juraverit, contraria autem vera esse non possunt, merito de falsitate suspectum se facit, & nihil probat, si tamen in ejusdem judicij instantia, & inter easdem personas, denuò examinatus testis contrarium dicat ei, quod in alio examine prius dixerat, tum regulariter statuit priore ejus dicto, si utrumque sit judiciali juramento firmatum. *Argu. cit. c. Per unam, & colligitur ex c. sicut 9. h. t.* (Neq; enim in potestate testis debet esse, parti pro qua prius deposuit, postmodum præjudicare, & evertere per negationem

ius, quod prius illi tribuerat) nisi in continenti dictum suum revocet, & corrigat. *Præterea 7. De testibus cogend.* Vel nisi probabilissimam rationem sui erroris afferat, si ex intervallo contrarium deponat; vel nisi prior depositio facta fuisset extra torturam, posterior in tortura, si personæ sint tales, ut fides illis non habeatur extra torturam; vel posterius dictum variis præsumptionibus & conjecturis adminiculatum sit, vel prius dictum in iudicio nullo, aut sine Juramento depositum sit, vel in causa hæresis contrarium dicat posterius, quam prius dixerat.

Quod si verò contrarium dixerat testis extra iudicium illi, quod in iudicio deposuit, regulariter standum est illo, quod in iudicio deposuit, non tantum iuramenti, sub quo in iudicio deposuit, cum extra iudiciale dictum sub nullo iuramento dictum fuerit, sed ad evitandas etiam perjuriorum pœnas, & ob reverentiam iudicij, nisi utraque deposito iuramento firmata esset, aut prima, depositis multis conjecturis & præsumptionibus adminicularetur &c. quamvis prius extrajudiciale dictum multum detrahac iudiciali depositioni, ut in tali casu Iudex sententiam ferre non possit ad depositionem talem iudicalem.

#### SECTIO IV.

### De productione & receptione Testium, eorumque examinatione.

#### §. I.

Quando producendi, & recipiendi sint Testes.

EX dictis jam patet, regulariter quidem & ordinariè producendos ac re-

cipiendos testes esse post litem contestatam, plures tamen esse causas & causas in quibus produci, & recipi possunt etiam ante litem contestationem, pro Tit. 6. dictum, & habetur etiam c. *Colim 34. & e. Significavit 41. h. t.* Postquam tamen casu quo tempore lata sententia testes quidem adhibiti fuerunt, sed nolum super his instrumentum publicum confectum sit, petente eo postmodum pro quo sententia lata est, implorato iudicis officio testes denuò vocari, & depositiones eorum in instrumento publico in scripturam à Notario redigi, ut sumitur ex c. *Albericus 42. h. t.*

#### §. II.

Quoties testes produci possint, & an testes jam alias producti iterum reduci possint in eadem causa?

REGulariter non nisi tres producti testes admitti possunt, quod si eisdem testes, si testificati non dicantur, produci possint iterum, ut in antiquis articulis, vel etiam novis, c. *stientis 46. h. t.* Ex causa tamen publica cum solemnitate legali quarta etiam productio testium dari, & concedi potest. *In causis 15. & c. Ultra 55. h. t.* nec potest per se renatam testium multitudine, & multam illorum depositionum lites nimium protrahantur, & ne periculum sit evulgandorum eorum, quæ testes deposuerunt, aut subornationis aliorum, nisi prius quam tertia productio ab utraque parte ulteriori productioni renunciarint: & quamvis quarta productio testium ex causa concedi possit à Iudice, debet tamen pars petens quartam productionem præstare Juramentum, quod attestaciones testium nec sine



adverse partis . nec per se , nec per alios suppresserit , aut occultaverit , quod depositiones testium non exploraverit , nec perscrutatus sit ( non obest tamen , obiter eas legisse tantum , aut referri audivisse , cum ex tali casu nulla videatur subornationis præsumptio posse oriri ) & quod hanc quartam productionem non petat malitiosè & dolosè , &c. in quibus consistit solemnitas illa legalis , cuius meminerunt jura : quâ suppositâ , si tamen cesset subornationis præsumptio , & partes non renuntiaverint ulteriori testium productioni , potest illa pars , quæ petivit quidem ulteriorem productionem , cui tamen illa concessa non fuit sine justa causa , à gravamine hoc & sententia hac interlocutoria , quæ vim definitivæ habet , non tantum de jure Canonico , sed etiam de jure Civili appellare , cum beneficium à lege indultum non sit alicui auferendum , juxta Reg. Juris 17. in 6 prout deciditur etiam in c. Significaverunt. 26. h. t.

## §. III.

Quomodo producendi, & recipiendi sint testes : & quomodo puniantur impediens productionem & receptionem eorum ?

**A**d testium validam receptionem debet pars contra quam producuntur , citari , c. In nomine 2. h. t. ( ne videantur recepti tantum in favorem producentis , & in odium alterius partis absentis ) ita tamen , ut pars adversa citari tantum debeat , ad videndos testes , qui contra eam producuntur , & articulos super quibus producuntur , ac audienda eorum jura-

menta , non tamen ad audiendas eorum depositiones & dicta , quæ secreto & sigillatim à Judice coram Notario recipienda sunt ; & est hæc citatio usque admodum necessaria , ut nullius momenti sint contra non citatum receptæ attestaciones , nisi Iudex ex officio procedat per inquisitionem generalem , aut periculum sit in mora , vel ratione causæ , vel ratione testium aliò abitorum , vel ratione probationum aliàs omittendarum ; aut pars , contra quam producuntur testes , per se sit præsens , ita ut nulla citatio necessaria sit.

Qui verò testes impediunt , quod minus testimonium perhibeant veritati , aut ne producantur , & recipiantur , sunt excommunicandi , prout constat ex c. Constitutus 45. h. t. Et si qui juraverint , testimonium se non duros contra partem aliquam , hoc juramento velut iniquo non obligantur , & compelli possunt ad testificandum , si attestaciones nondum sint publicatæ , nec renuntiarum productioni testium. c. Intimavit. 18. h. t. Debent autem testium attestaciones sumptibus producentium fieri , cum regulariter sumptus ille præstare debeat , in cujus gratiam a Deus celebratur.

## §. IV.

De examine Testium , & in primis à quo sint examinandi ?

**E**xaminandos esse à Iudice , constat ex authen. Vi defuncti. Co. cap. 11. ludi etiam. Novell. 60. junctâ Gloss. V. testibus. Ita tamen ut possit Iudex eorum longè fortassis absentium , examen alteri committere , & depositiones descriptas

sibi transmitti postulet. Prout habetur in l. Iudices 18. Cod. de fide instrum. § c. Constitutus 3. §. Præterea. De fidejusso. § c. 2. De judic. in 6. etiam extra iudicium recipiendos, & solum ministerium sive nuda executio examinis post receptos, & approbatos jam testes committatur; nisi sint causæ criminales, in quibus ipsemet Iudex testes recipere, & examinare debet, ut, si res exegerit, tormentis subiiciantur: vel nisi illi, qui in testes producantur, sint personæ privilegiatæ, aut ægrè venire possint ad locum Iudicii, quibus, ut domi suæ per submissas personas idoneas examinentur in causis saltem civilibus, conceditur, ut constat ex l. Ad personas 15. ff. De iurejurand. § c. Si qui testium 8. h. r.

## §. V.

## Quomodo examinandi sint testes?

**N**on plures simul, sed singulos sigillatim, & secretò examinandos esse ex c. Venerabili 52. h. r. constat (ad cavendum scilicet omne periculum, ne ex favore potius, quàm veritate idem deponat aliquis, quod alter deposuit) & ex c. Cum causam 37. h. r. patet, quòd diligenter sint examinandi, non solum super negotio seu causa principali, sed etiam de ratione seu causa scientiæ, de personis testium, & singulis circumstantiis; neque enim censetur scire, qui nescit rationem seu causam reddere ejus, quod asserit. Abstinentum tamen est non solum ab incongruis & nihil ad rem facientibus interrogacionibus, sed etiam à nimium exquisitis, consideratâ qualitate personæ, quæ examinatur, & semper moderari de-

bet Iudex nimium testium multitudinem, ita ut non permittat ultra quodvis genarium numerum testium multitudinem super uno eodèque articulo concedere.

## SECTIO V.

## De publicatione attestacionum.

## §. I.

Quomodo faciendâ sit attestacionum publicatio, & an pertineat ad substantiam processûs? Item an attestacione recepta in uno iudicio publicanda sint, & probent, & fidem faciant in alio iudicio?

**E**xaminatione testium factâ, & postquam ulteriori productioni recitari partes, ad quam faciendam à Iudice induci debent, debent attestaciones in secreto receptæ, utrâque parte presente, vel alterâ etiam absente, si contamen fuerit, & contumax declarata publicari, non quidem quasi ad substantiam processûs iudiciarii hæc publicatio pertineat, & consequenter ipsius testis nullo nullam reddat sententiam legitime (quia sine examinatione testium ex instrumentis v. g. potest ferri sententia) sed quòd necessariò ex præcepto recipitur, ita ut si omissa sit, quamvis appellare pars illa possit: possunt tamen attestaciones in priore iudicio receptæ altero iudicio, si super eadem causa & per iisdem articulis, & inter easdem personas, &c. fuerit, publicari (quia iudicia etiam in alio iudicio fidem faciunt).

& successor in iudicio idem quasi Iudex cum priore censetur) & omnibus profunt, quibus prodesse potest res iudicata. Neque tamen receptæ attestaciones inter partes principaliter litigantes ad petitionem tertii intervenientis in iudicio publicari debent, etiamsi illius aliquo modo interfit (ne videatur præiudicium aliquod partibus principaliter litigantibus inferri) quamvis si iuri suo velint partes cedere, publicatio fieri possit, prout colligi potest ex *c. Constitutus* 30. *h. r.*

## §. II.

*An attestaciones receptæ per Arbitrum & publicatæ fidem faciant, ac probent coram Iudice ordinario, vel delegato?*

**R**esp. Probare, & fidem facere coram Arbitris receptas attestaciones, sicuti & alia acta Iudicii instructoria causæ, sive quæ respiciunt factum, & merita causæ etiam coram Iudice ordinario aut delegato, si testes mortui sint, vel si vivant adhuc, in optione partis litigantis est, contra quam testes producti fuerunt, an attestacionibus habitis acquiescere velit, an malit de novo audiri testes, prout deciditur in *c. Presentata* 30. *h. r.* Quamvis enim acta coram arbitris stricto iure non debeant valere ut acta judicialia, cum arbitri tales nullam jurisdictionem habeant, quia tamen arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt *l. i. ff. De recept. arbit.* manet etiam ex æquitate sua talibus attestacionibus probatio, præsertim cum mortuis testibus, si eorum attestaciones nihil probarent, perire sæpius posset probandi facultas, & jus alterius periclitari. Hæc tamen in-

telligi non debent de actis ordinatoriis litis sive iudicii, quæ pendent ab instantia iudicii, consequenter hæc expirante, debent illa repeti, nisi partes renuntiare possint, & velint.

## §. III.

*An post publicationem attestacionum idem testes, vel alii super iisdem articulis, vel contrariis produci, & recipi possint, vel non?*

**A**rticuli, qui parti proponenti probandi regulariter sunt, alii dicuntur antiqui, alii dicuntur novi, alii dependentes ab antiquis; antiqui dicuntur, qui jam ante propositi fuerunt in libello super quibus, si testes legitimè jam producti, & recepti fuerunt, ac attestaciones publicatæ, jam non amplius aut alii admittuntur, ut ex dictis patet. Novi sunt, qui non sunt propositi, & ad causam motam sunt impertinentes, neque juvant intentionem Actoris, aut Rei, qui articuli omnino rejiciuntur à Iudice, neque super illis testes admittuntur ad probandum frustra, quod probatum nihil facit ad causam motam. Dependentes denique articuli ab antiquis sunt, & dicuntur illi, qui propositi ac probati adjuvant causam seu intentionem litigantis; qui facti quidem necessitate sub prioribus continentur, non tamen necessitate probationis, prout habetur in *c. Cum Ioannes* 10. *De fid. instrum.* super quibus articulis nova probatio admittitur, nisi articulus talis virtualiter etiam quoad probationem contineretur in antiquis, ut sic enim antiquus censeretur, & nulla nova illis probatio post publicatas legitimè attestaciones admitteteretur.

Inter contrarios verò articulos ea est differentia, ut alii dicantur directè contrarii, alii indirectè: directè contrarii dicuntur, qui directè adversantur articulo à producente per testes probato, & super his probatorii testes post legitimè publicatas attestaciones nò admittuntur, ob periculum fraudulentæ alicujus subornationis. Indirectè contrarii dicuntur, qui testium depositioni ad certas circumstantias articulum litigantis restringenti adversantur, & sic indirectè etiam articulo per testes tales probato: super quibus admittuntur testes reprobatorii etiam post publicationem attestacionum, prout sumitur ex *c. Ex tenore. 35. h. t.* Cùm per hanc restitutio illa primùm innotescat. Vide plura de his apud Auctorem Meth. hoc & sequenti §. in quo quæritur: Quando, & in quibus casibus etiam post publicatas attestaciones iisdem, vel alii testes super iisdem, vel directè contrariis articulis denuò produci, & recipi possint?

## SECTIO VI.

### De exceptione contra testes, & eorum reprobatione.

#### §. I.

Quomodo, & quando excipiendum sit contra testes?

Contra testes possunt triplicis generis exceptiones opponi. Primò contra personas testium, quòd vel omnino, vel ratione causæ ad testimonium dicendum sint inhabiles, ut supra dictum. Secundò, contra examen testium, quòd

non sit legitimè factum, vel ex defectu jurisdictionis ab incompetente Iudice, vel quòd producti, & recepti fuerint testes ante litem contestatam; quòd admitti fuerint parte non citatà; quòd post tertiam productionem recepti fuerint, sine solemnitate legali; quòd recepti fuerint post percepta testificata; quòd recepti fuerint post conclusionem in causa, aut post renuntiationem ultimarum productionis; quòd recepti sint non parati, simul, ac non seorsim & secretè, de quibus omnibus jam actum in Superioribus h. t. Tertiò excipi potest contra ipsa testium dicta, & depositiones, quidem varijs modis, prout iterum à dictis patet.

Quando autem excipiendum sit, quærat? Respondetur primò, contra personas testium opponi debent regulariter exceptiones, priusquam eorum attestaciones sunt publicatæ (ne videtur ex odio magis factarum attestacionum reprobari) ita tamen, ut à commentum regula tres casus excipiat *c. Presentium h. t.* Primò scilicet si, excipiens post publicationem attestacionum juret, quòd malitiosè non agat excipiendo. Secundò, si citatus adversarius ad videndum testes contra se productos cum protestatione sibi reservavit facultatem excipiendi contra eorum personas. Tertiò, si probaverit (saltem per juramentum proprium) quòd ea, quæ opponere vult contra testes, post publicatas attestaciones primùm didicerit. Quæ tamen omnia intelligi debent de testibus non absolutè & simpliciter inhabilibus, contra quos semper, etiam post publicatas attestaciones excipi potest, sed de testibus lectur-

dum quid inhabilibus, quorum depositiones subinde admittuntur.

## §. II.

*De depositione testium, qui producti sunt, ad probandam exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam super causa principali.*

Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam tantum, quam Reus contra Actorem proponit, non possunt cogi, nec admitti debent, ad testimonium ferendum super causa principali, cum tantum juraverint, veritatem se dicturos super exceptione dilatoria. *c. De testibus 29. h. t.* & eorum depositio magis tendat, ad impediendum ceptum negotium, quam ad prosequendum. Si vero producti sint super exceptione peremptoria probanda, tunc presente adversario, ut etiam super causa principali deponant, jurare debent, & cogi possunt, ut jurent, super toto negotio se veritatem dicturos, quia simul procedi potest super exceptione peremptoria, & super causa principali.

## §. III.

*An, & quando exceptio opposita contra testes impediatur eorum restitutionem, vel non?*

Ordinarie non impedit receptionem & examinationem testium, si a Reo contra testes adversum se productos excipiatur, sed questio de illorum inhabilitate in finem litis reservari potest, (fortassis in progressu apparebit, nihil horum depositionibus opus esse ad sententiam ferendam, & consequenter frustra de eorum inhabilitate litigaretur)

nisi testi objiceretur notorius defectus, sive crimen publicum, & manifestum, vel tale, quod in continenti statim probari potest (talis enim exceptio impedit talis testis receptionem, & examinationem; neque in finem reservari debet, uti patet ex *c. Ex parte 7. h. t.* vel contra quem opponitur exceptio, pugnet etiam praesumptio juris, aut opponatur, quod sit capitalis inimicus ejus, contra quem producit; quod sit excommunicatus vitandus, quod sit periculum, ne postea non possit examinari, &c. multi tamen docent, quod sit in arbitrio Iudicis, utrum velit exceptiones contra personas testium reservare in finem litis.

## §. IV.

*An, & quomodo licitum sit, reprobare testes?*

Quid liceat testes probatorios super causa principali productos reprobare, & horum reprobatos iterum reprobare, non autem reprobatos hos reprobatos ex *c. Licet Dilectus 49. h. t.* patet. Ne partibus litigantibus, ut ait Pontifex, detur occasio, negotium & litem diutius protrahendi. Et quamvis hoc capitulum tantum loquatur de personis testium, quod taliter reprobari possint, intelligi tamen etiam debet de reprobandis dictis, sive depositionibus testium, cum sit par ratio: neque impedit etiam, quominus testes reprobatos ulterius reprobari possint per instrumenta, quia solum prohibetur, tertium fieri reprobatio per testes, quo in casu magis periclitatur causa de inutili prolongatione, quam impeditam vult *cit. c.* Modus autem servandus in reprobatione testium

um probatoriorum, & reprobatoriorum potissimum consistit in eo, quod delicta sive defectus, qui testibus obijciuntur, specificè exprimantur, & probentur, & juramentum præster opponens, quod non malitiosè procedat. *Præsentium 2. §. Testes h. r. in 6. ad omnem præsumptionem elidendam, quæ in altera præsertim reprobatione intervenire possit. Et quamvis ipse producent non*

possit testes à se productos reprobare, nisi inimicitia graves inter producentem & testes intervenissent, vel alia nova causa emerferit, potest tamen eorum testimonia reprobare, si videat pro suo partius adversario deponere eos, aut in diis suis non convenire; cum producenti has personas in testes, pro testibus quidem approbaverit, non tamen eorum dicta, quæ cum adhuc nescit,

## T I T U L U S XXI. DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON

### §. I.

*Quando, & in quibus causis, ac quomodo testes compelli possint ad ferendum testimonium.*

**P**ossunt ordinariè de utroque jure, si rogati, vel vocati testimonium ferre nolint, sine rationabili causa excusante, compelli à iudice, & cogi sub interminatione etiam censuræ, aut multæ pecuniariæ in causis pecuniariis, seu civilibus, ad testimonium perhibendum, ob publicam scilicet necessitatem, & utilitatem. Uti habetur in *L. si quando 19. §. Authen. sequente. Cod. de testibus §. c. Causam 1. c. Cum super 2. §. Caterum 6. h. r.* (ob præsumptionem mali doli, nisi aliâ præsumptione hæc ipsa elidatur) nisi specialiter ab hac coactione excepti essent, non quidem ob juramentum, quod fortassis de non testificando contra aliquem illicitè fecerant, sed ob alias causas, uti paulò post dicitur.

### §. II.

*An, & quando testes cogi possint ad ferendum testimonium in causis criminalibus?*

**S**pectato jure Canonico nec Laicis coguntur ordinariè ad testimonium ferendum in causis criminalibus, quæ directe agitur ad vindictam publicam (quamvis multi teneant contrarium, prout probari posse videtur ex *c. Dilectorum 10. h. r. junctâ Glossi. V. Super criminibus*, ob periculum scilicet gravium odiorum, & peccatorum ex tali testimonio timendorum, ac incurrendæ irregularitatis; quæ ratio multò magis probandum ferat, nemo cogi possit, de quo in iudiciis nulla publica suspicio est, ut in infamia præcessit, nisi crimen esset valè periculosum, & perniciosum etiam in futurum; aut veritas aliter sciri non posset, cum præiudicio Reipublicæ, *c. Pervenit §. h. r.* aut malitiosè se subtrahat

testes, vel malitiosè impediatur *c. Super eo*; *Et. Cùm contra g. b. r.* aut si de crimine agatur per modum inquisitionis, ne indignus v. g. ad beneficium promoveatur *c. Super his 8. b. r.* aut si agatur per denunciationem charitativam, ad impediendum peccatum, vel ad tollendum animæ periculum; aut si testari quis debeat ad innocentiam illius, qui reus habetur, ostendendam; aut si agatur de crimine conspirationis subditorum contra Prælatum suum *c. Venerabilis n. h. r. Et.*

## § III.

*De personis privilegiatis, quæ ad ferendum testimonium cogi non possunt.*

Plures sunt ejusmodi privilegiatæ personæ, quæ ordinariè ad testimonium ferendum non coguntur. Senes scilicet, qui majores sunt 70. annis; Valetudinarii, qui morbo decinentur, ne in Ju-

dici locum venire possint (quamvis *Glossa in c. Si quis 8. de testibus V. Valentiniariis*, putet, mittendum ad hos Notarium, qui scripto eorum testimonium excipiat, consulatur, & servetur hac in re consuetudo) milites qui in expeditione bellica sunt; Sacerdotes, & universim Clerici omnes qui à seculari Iudice cogi non possunt, in ulla causa, ad ferendum testimonium, cum nullus Clericorum coram seculari Iudice absque licentia sui Ordinarii, jurare possit, neque facilè cogi possunt, ut coram Ecclesiastico Iudice contra Ecclesiam suam testentur &c. Quòd si tamen veritas aliter haberi non possit, aut probetur utilitas publica talium etiam testimonium requirere, vel probetur, quòd malitiosè se, ex odio favore, aut timore &c. partis, subtrahant, cogi possunt, ad testificandum, juxta morem & consuetudinem illius Tribunalis.

## TITVLVS XXII

## DE FIDE INSTRUMENTORUM.

## § I.

*Quid, & quotuplex sit Instrumentum.*

Instrumentum, prout hîc de eo sermo est, dici potest qualibet scriptura, ad alicujus rei assertionem vel probationem facta; horum instrumentorum alia sunt publica, alia privata. Instrumentum publicum dicitur illa scriptura, quæ publicâ auctoritate sive à publica persona, qualis censetur esse Notarius, legitimè ac cum

debitis solemnitatibus confecta est, sive in iudicio sive extra iudicium; vel si à publica persona confecta non sint, quoad effectum tamen probandi publica dicuntur, uti sunt acta Iudicii Iudicis auctoritate confecta, scripturæ illæ, quæ ex Archivo publico, sive Cancellaria extrahuntur, scripturæ publico aliquo & authentico sigillo signatæ, Episcopi v. g. Principis secularis, Capituli, Civitatis, vel alterius Communitatis jus Sigilli habentis; scripturæ privatæ quidem, quæ tamen

*Pinhing. Compend.*

T t

inter-

interveniente auctoritate Magistratus, aut Iudicis publicantur; & scripturæ denique subscriptione scribentis, & trium vel duorum testium munitæ &c. quæ scripturæ omnes auctoritatem eam habent, ut fidem faciant &c. dummodo in eis defectus nullus fraudis suspicionem generans appareat, & ob hoc authentica dici possit, non tamen omnis authentica scriptura etiam publica est, nisi in latiore aliquo sensu id publicum accipere velis. Quæ autem publica propria scriptura est à Notario confecta, iterum duplex est, alia vocatur Protocolum, quæ summaria, succincta, seu brevis actûs gesti est annotatio, memoriæ causâ facta; alia vocatur transumptum, videlicet Instrumentum authenticum & originale, ex protocollo desumptum, in legitimam formam cum debitis solemnitatibus redactum, plenam rei gestæ expositionem continens. Et quæ ex his originalibus instrumentis describuntur, exempla sive copiæ instrumentorum dicuntur. Privata verò instrumenta, quæ domestica etiam dicuntur, & à privatis tantum personis, non autem à Notario confecta dicuntur, authentica sunt, vel non authentica. Authentica dicuntur illa, quæ testium subscriptione, aut Sigillo, eoque recognito, & approbato, vel alio legitimo modo munita sunt, ita ut plenam fidem faciant. Non authentica dicuntur illa, quæ his adminiculis carent, uti sunt rationes privatæ, inventaria privata, seu registra, apochæ, antapochæ, Epistolæ privatæ &c.

## §. II.

Quomodo conficiendum sit Instrumentum publicum?

Plures sunt solemnitates ad hoc requisitæ. Primò requiritur Divini Nominis invocatio; cujus tamen omnia factem de jure communi scripto non requiritur instrumentum, cum nullus juratus habeatur, expressionem hanc reprensens; servanda tamen est communis consuetudo; Secundò requiritur ut ponatur in instrumento annus Nativitatis Domini currens eò tempore, & apponatur in super Indictio (cujus inventio specimen Author Meth. hoc loco suggeret) & post indictmentem, Mensis ac dies, confecti instrumenti, & notata, quam etiam hora diei addatur; notata quoque & annus Imperatoris regnantis in terris Imperii, aut Supremi illius Principis, qui Superiorem in suis certis agnoscit, exprimat; apponatur etiam locus castri, vel civitatis, domus castri & hypocausti, vel atrii, ubi contractus v. g. super quo conficitur instrumentum celebratus est, (quamvis juxta aliquos hæc tam specialia & minuta non requirantur, servanda tamen iterum consuetudo. Tertiò requiritur; ut duo vel tres testes actui illi seu confecti instrumenti adsint, vocati ad hoc, & rogati, item in certis quibusdam casibus, quorum nomina instrumento inserantur, ut appareat, per quos de veritate, si dubitari oriatur, constare possit. Et quavis necessarium non sit, ut nomina ipsi subscribant testes, Notarius tamen suum pronomen & cognomen subscribere debet, & simul exprimere, quod ab eo



vel ab illis, ex quorum consensu actus hic dependet, rogatus ad hoc fuerit; Quartò denique requiritur, ut instrumentum scriptum coram partibus legatur (si tamen contractus ratio scripturam exigit) atque solemne Notarii Sigillum apponatur, quod quidem de jure non requiritur, ut plura alia consuetudo tamen jubet, quæ in hac instrumentorum materia multum valet.

## §. III.

De Notario conficiente instrumenta publica.

UT autem legitimam auctoritatem habeat Notarius publica talia instrumenta conficiendi, debet vel à Supremo Principe aliquo, qui in temporibus Superiorem non agnoscit, vel ab aliquo speciale privilegium habente creandi Notarios, Notarius esse constitutus, vel debet hoc ipsi ab immemoriali consuetudine competere (quamvis hodiernâ consuetudine inferiores etiam Magistratus aliqui in suis territoriis Notarios constitutere possint) ita tamen, ut sit talis legitimus, matrimonio natus; liber sit, & non servus; ut sit peritus juris (quamvis ad hoc officium non requiratur Gradus Juris) ut sit Laicus (neque enim Clericis saltem in sacro Ordine constitutis convenit esse, saltem in rebus secularibus Notarios) qui tam in rebus ecclesiasticis quam temporalibus Notarii officium exercere potest, quia exerceat nudum ministerium sine omni jurisdictione; ut non sit publicè excommunicatus non toleratus &c. non potest tamen extra territorium constituentis Instrumentum fidem faciens conficere (quamvis intra territo-

rium constituentis possit etiam pro extraneis, si rogatus ab his fuerit, instrumentum conficere, extra territorium constituentis fidem etiam faciens) cùm officium publicum intra terminos Regionis illius restringatur, ubi confertur, & extra illud territorium non jam sit persona publica, sed privata; servanda tamen hac etiam in re recepta est consuetudo, quæ potestatem etiam Notarii extra territorium constituentis extendit, intra partes volentes.

## §. IV.

Quam vim probandi habeant Instrumenta publica?

Original Instrumentum, legitime confectum plenè probat, & plenam fidem facit de illis, quæ dispositivè in eo continentur, non tantum pro proferente tale instrumentum, sed etiam contra proferentem *c. 1. & 2. h.* ob præsumptionem, quam pro se habent talia instrumenta, quin etiam protocollum, si Notarii manu scriptum sit, ex rogatione partium plenam fidem facit de actis, quæ ex eo plene intelligi possunt (quia Matrix quasi est, seu archetypum, ex quo extrahitur Instrumentum, & nisi actus ad sui substantialem perfectionem scripturam requirat, ante instrumenti perfectionem nondum perfectus) ita quidem, ut si dubium occurrat in instrumento, quod ex protocollo solvi possit, standum sit protocollo; & si si fortassis Notarius qui protocollum confecit, ante instrumenti confektionem mortuus sit, possit, si partes consentiant, alius Notarius cum auctoritate iudicis ordinarii, instrumentum ex relicto protocollo conficere, ut constat *ex c. cum P. 15. h. 2.*

Tit 2

§. V.

## §. V.

*Quam vim probandi habeant exempla desumpta, seu extracta ex originali instrumento*

**R**egulatiter tales copiae sine originali non probant. *c. Si scripturam 1. h. t.* Potest tamen si auctoritate Iudicis ordinarii vel delegati ex justa causa ad petitionem partium à publica persona, & citatis illis, quorum interest, ex originali transcriptum est (vulgò Vidimus dictum) eandem vim probandi habere, quam habet originale *c. Si instrumenta 16. h. t.* Si tamen testetur transcribens Notarius, quod originale nullà sui parte fuerit vitiatum; neque tamen semper auctoritas Iudicis intervenire debet in tali exemptione instrumentorum, prout fit in casu, quo ex utriusque partis consensu & rogatu Notarius tale exemplum conficit; vel si ab eodem Notario sit exemplatum, qui originale conficere iussus fuerat; vel quando propter antiquitatem exemplum, plenè fides adhiberetur, etiamsi non constet, quòd supra dicta requisita in eo observata sint, vel denique si inter acta iudicii & processus descriptum ex originali apud Iudicem reperitur, secundum integrum illius tenorem productum, & collatum à Notario, &c.

## §. VI.

*An probent, & quam fidem faciant instrumenta, seu scriptura privata?*

**S**criptura privata, quae manu propria quidem scribentis scripta, vel subscripta est, nullà tamen testium subscriptione, sigillo, aut alio adminiculo est munita, nihil probat. *L. Instrumenta 5.*

*Cod. De probat.* Cùm non sint authenticae tales scripturae: imò nec ex scriptura, quae testium subscriptione munita, in iudicio exhibita, si testes in illa scriptura decesserint, probant aliquid, nisi trans publicè à Notario v. g. confecta sint, aut authenticum sigillum habeant, per quod probari possit, prout rescribit *Alexand. 3. in c. Scripta 2. h. t.* & si syngrapham talem vel apocham neget aliquis à se scriptam, vel subscriptam, nihil probat contra illum, nisi aliunde probetur ab eadem scriptam, vel subscriptam fuisse. Si vero agnoscat scripturam talem aliquis à se scriptam, vel subscriptam, non probat quidem in favorem scribentis, sive subscribentis, neque in alterius cupidum praedictum, ob periculum falsitatis, quod subesse potest contra ipsum transcribentem, si causa debendi v. g. expressa in illa sit, plenè probat, quia in propria confessioni quis acquiescere debet, non autem si causa debendi non sit expressa, uti colligitur ex *L. Scripturas 11. Cod. Qui potioris in pag. 10.* Quod idem de cautione, sive promissione censendum est, nullam scilicet obligationem, aut actionem producat, si causa expressa non sit, ob quam promissio talis facta est *c. Si cautio 14. h. t.* Cùm obligatio non oriatur, nisi ex causa, qui si expressus non sit, ut illius habeatur confessio, nec probari potest, non valet quidquam talis cautio in praedictum alicujus, cum per errorem facta creditur talis promissio, nisi in donatione a divite pauperi facta, vel ob praecedentia merita v. g. praesumi possit donatio facta causa etiam non expressa; vel facta fuerit promissio talis loco pio, ob favorem

## §. VII.

*An, & qualiter probent scripturæ privata in specie?*

plæ causæ, &c. vel confessio merè liberatoria esset, facta ab eo, qui remittere debitum potest; vel confiteatur aliquis, rem talem suam non esse, aut sit geminata confessio, vel conditionata, vel facta fuerit in ultima voluntate, &c. in quibus, uti & pluribus aliis casibus nulla requiritur expressio causæ ad valorem promissionis, donationis, aut confessionis factæ, &c.

Quod si tamen testes producti detentore scripturæ privatæ, sive de contentis in ea deponant, duo sufficiunt ad plenam probationem, etiam non subscripti. Si verò deponant non de contentis in scriptura, sed præcise de facta ab his partibus scriptura, aut facta subscriptione, tres testes esse debent (ad cavendum melius omnem errorem) sive masculi illi sint, sive feminæ, & ut probent aliquid, testentur, quòd ipsis præsentibus, ac videntibus scriptura hæc à partibus scripta, vel subscripta fuerit, nisi fortassis ex authenticis scripturis aliis hæc appareat cum illis ab eodem scriptis comparata, similitudinem habere. aut ipsæ partes à se scriptam, aut subscriptam talem scripturam recognoscant, & fateantur, quibus in casibus in priore quidem semiplena fides ex comparatione tali habetur, in posteriore verò, plena fides tribuitur taliter confessis contra scribentem; quamvis aliqui probabilis velint, non omnem, qualem scilicet fidem comparatio talis, vel confessio talis faciant, prudenti iudicis arbitrio, spectatis circumstantiis relinquendum.

❖(o)❖

PRIVATÆ scripturæ tres sunt species, Apocha, vel Antapocha, Rationes, sive Liber rationum, & Epistola. Apocha, sive ut vulgò appellatur Quietancia, Quittung / quæ creditor fatetur, sibi solutum à debitore debitum; & Antapocha, sive scriptura, quæ debitor fatetur, tantum censum v. g. se solvisse, quantum debebat; quæ creditori à debitore datur, sicut illa debitori datur à creditore contra scribentem, aut subscribentem confessum plenè probat, aliis tamen præjudicium nullum facit, ut dictum, ad cavendas multas fraudes; si autem pars neget, se scripsisse, aut consensisse in scriptam ab alio per comparationem literarum, aut testium præsentium depositionem, juxta dicta, fides probari, & decidi debet, quæ literarum comparatio, aut testium depositio, in eo etiam casu requiritur, quo testes non autem partes, scripturæ tali subscriperunt, nisi scriptura talis ex publico Archivo, vel ex Cancellaria producta fuisset, quo in casu sine aliis adminiculis plena fides tali scripturæ haberetur.

Liber rationum, seu rationes privatæ regulariter non probant plenè pro scribente sine aliis adminiculis, seu præsumptionibus, quia aliàs quilibet sibi probationem parere possit, scribendo debitorem in his rationibus, quem voluerit, contra scribentem tamen regulariter probat, quia confessio est à parte producente facta, & ab altera parte jam præsentem approbata. Pro tertio tamen, aut contra tertium ordinariè nihil probat,

T t 3

nisi

nisi talium rationum sint locii, aut sermo sit de rationibus Mercatorum, quorum libri, suppositis certis circumstantiis, ex recepta in pluribus locis consuetudine, in foro Mercatorum, quoad negotiationes & commercia etiam plenè probant.

Epistola sive literæ missivæ regulariter pro scribente non probant, fidem tamen aliquam faciunt contra scribentem, si constet ab illo scriptam fuisse, & ab eo cui mittitur acceptatam fuisse: contra tertium tamen regulariter nihil probat ob rationes jam sæpius allatas.

## §. VIII.

*Quantam fidem faciat, seu quantum probandi habeat Sigillum scripturæ seu literis appositum?*

Sigillum, quo scripturæ tales munitur, duplex est, publicum scilicet quod publicâ auctoritate Magistratûs alicujus vel Communitatis, apponitur; Et privatum, quo uti solet privata persona pro suis negotiis & literis expediendis. Publico sigillo si instrumentum aliquod munitur sit, plena fides huic habetur in rebus ad jurisdictionem aut officium tale sigillum apprimendum spectantibus. *c. 2. h. s.* Neque tunc alia recognitio necessaria est, cum de sigillo authentico Magistratûs constet: & hoc quidem ex recepta consuetudine: spectato tamen jure communi probabilius est, quod literæ taliter signatæ in præjudicium alterius non plenè probent, nisi in causis levioribus, quia periculum est, ne tam facilè inducatur aliquis ad falsum signandum, quàm ad falsum dicendum.

Quod si literis talibus seu scripturæ

privatæ proprium tantum persone præposita sigillum appositum sit, in præjudicium quidem apponentis plenâ fidem habet, etiam sine alia subscriptione aut propria, aut testium (quia non minus sigillum quàm subscriptioni credi potest) in nomen sigillum tale ut proprium sigillum recognoscatur, aut probetur, vel saltem in literis non exprimatur, cuius, si res conjecturis aliis aut circumstantiis hoc colligi possit: non autem in præjudicium tertii, cum non possit majorem fidem facere, quàm simplex unius testis testimonium, qui in præjudicium tertii non plenè probat: & hinc quamvis doctores Virorum omni exceptione majorum, si sigilla eorum apposita sint, talibus plenam fidem facere possint in præjudicium tertii, non minus, quàm duobus si sigilla sua hi recognoscant, & apponent) securius tamen erit, à sigillo subscriptam esse scripturam talem, ut suos characteres & literas habere sigillum, quod facilius recognosci possit.

## §. IX.

*De productione Instrumentorum.*

Instrumenta potest utraque pars producere, ordinariè non tantum post publicationem constatam, sed etiam post publicationem attestatorum, donec in causa conclusum sit. *c. Cum dilectus 9. l. 1.* Neque enim in tali productione Instrumentorum, post publicationem attestatorum factam, periculum est alicujus subornationis, sicut esset, si liceret ad testes producere; mirum ergo non est hoc esse prohibitum, non autem illud post conclusionem verò in causa instrum.

menta produci non posse amplius, ipsa natura conclusionis facit, quæ est renuntiatio, saltem tacita, omnis ulterioris probationis, nisi in certis casibus ubi etiam sæpe post sententiam admittitur probatio per instrumenta, si ita Iudici officio expedire videatur; si post conclusionem in causa primùm reperta sint, & jurare velit pars producens, quòd nulla negligentia in illis prius inquirendis intervenit, ignorata tamen fuerint; si producantur ad innocentiam rei in causa criminali probandam; si parte adversa præsentem, & nihil contra dicente instrumentorum productio recipiatur; si à sententia fuerit appellatum, quo in casu instrumenta produci possunt post sententiam in iudicio appellationis, quorum productioni in priore instantia obstabat conclusio in causa; si producatur instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes tantùm declarandas; & generaliter quancumque aliqua iusta causa Iudici subesse videtur. Potest tamen etiam Iudex, ante conclusionem in causa certum tempus partibus statuere, ad lites abbreviandas, intra quod instrumenta sua producere debeant.

## §. X.

## De Editione Instrumentorum.

Instrumenta communia sint utrique parti litiganti, & ea pars aliqua exhibere petat, Iudex tamen hoc non curet fieri, ab eo licet appellatur, & quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet *c. G. perpetuus 12. h. t.* Cùm per talem denegationem pars adversa iniuste gravetur, prout etiam ex dictis & ex dicendis patebit. Quòd si tamen pars litigans ad fundandam suam intentio-

nem, aut exceptionem, privilegium aliquod aut instrumentum alleget, non cogitur quidem illud apud acta Iudicii deponere, debet tamen Iudici totum illud ad videndum, & informandam mentem exhibere *c. Cùm persona juncta Gloss. V. Integraliter de privilegiis in 6. & ad legendum coram parte præsentem saltem illud Capitulum exhibere, de quo est questio, prout habetur in c. Contingit §. h. t. nisi omnia in illo instrumento contenta à se invicem dependeant, quia in tali casu talis causa discuti non potest, nisi omnia in instrumento contenta examinentur.*

## §. XI.

## De variis exceptionibus, quæ contra Instrumenta opponi possunt.

In genere dici potest, quòd exceptiones contra Instrumenta, vel desummantur à causa efficiente, ut quòd non à legitima auctoritate confecta sint; vel à causa materiali, ut quòd sint de re illicita: vel desummantur à causa formali, ut quòd desit substantialis aliqua solemnitas, &c. In specie verò contra instrumentum opponi potest, primò quòd falsum contineat *c. Accipimus 4. h. t.* (quo in casu exhibendum tale instrumentum Iudici in loco securo, & intra tempus præfixum à Iudice, ut de falsitate hic cognoscat, quæ non inspecto instrumento sciri non potest) ita ut si ex una tantùm parte sit falsum, totum suspectum reddatur, nisi falsitas subsit articulo prorsus diverso, & separato ab aliis nihil connexis cum illo falso, utile enim per inutile vitari non debet *juxta regulam. 37. in 6.* Secundo opponi potest, quòd sit vetustate consumptum, cancellatum, vel

de.

deletum, ut legi amplius non possit, vel non debito modo signatum, vel alio modo vitiatum, ut merito suspicionem falsitatis inducat, prout constat ex *c. Licet 5. de crim. falsi. & ex c. Inter dilectos 6. h. t.* Ubi plures ejusmodi exceptiones contra instrumenta afferuntur. Tertio, opponi multa possunt contra sigillam Instrumento appositam, quod enormiter fractum sit, seu sculptura & imago deleta, ita ut ex parte residua non possit satis colligi, cujus sit, neque ex imagine, neque ex literis circumsculptis non amplius legibilibus, quod figura dignitati sigillantis non conveniat; quod Regem potius quam Pontificem referat, cum tamen hujus esse prohibeatur; quod per testes probari possit furtivum illud esse, aut factum ad imitationem veri sigilli; quod sit ignotum. *c. Quod super. 7. h. t. & c. Cui fidem haberi non vult Pontifex in relato cap.*

## §. XII.

*Quando vitietur Instrumentum ob rasuram in eo factam, vel ob errorem in eodem commissum à scriptore?*

Vitiari Instrumentum ob literam, seu rasuram, vel interlineaturam in parte substantiali, aut loco suspecto, ex quo maxime veritas apparere debet; apparentem, ita ut ei fides habenda non sit, excipit. *c. Inter dilectos 5. Instrum. habetur, & expressis in c. Cum Venerabilis 7. juxta Glossa V. propter predicta, de Religiosis domib.* Si verò rasura vel deletio facta sit in parte non substantiali, aut loco non suspecto (quando sine eo res tota subsistit) non vitietur instrumentum &

*Final. de crim. falsi. §. e. Ex literis 3. h. t.* Quin etiam in loco scripturæ substantiali & suspecto, non semper rasura vitiat instrumentum, si clarè appareat ex scriptura, quod implemet Notarius suam mentem loco tali raserit aliquid, aut superripserit, & hujus ad finem instrumenti mentionem faciat; si ex antecedentibus consequentibus appareat, ita loquendum esse, prout rasura, aut verbum superripsum indicat; si per aliam scripturam authenticam pars in instrumento intelligi possit. Si penes advertebitur, rasura apparet, præsumitur in tali casu rasura facta ab advertebitur, consequenter illi, pro quo productum nihil præjudicat &c. Quod si scriptoris Instrumentum continet verum aliquem, aut vocis integram sententiam, quæ tamen ex alijs facile colligitur, non vitietur instrumentum vel de intentione instrumentum contractis satis constat, neque in tali casu præsumptio fraudis sicutius locum habet.

## §. XIII.

*An probent, ac fidem faciant Instrumenta inter se contraria, vel eadem, vel à diversis producta?*

PRODUCENS instrumenta, sive scripturas inter se contrarias in judicio contra suum adversarium nihil probat, si scripturæ illæ publicæ sint, sive per se, sive una publica, & altera privata, sive rectè sibi invicem contrariæ sint, sive indirectè, cum enim producens instrumenta censeatur ea omnia, quæ in continentur, vera esse feceri, quod non potest. *c. Impiari 13. h. t.* Si

men contraria Instrumenta producantur à diversis partibus, tunc fides habenda est scripturæ digniori, publicæ scilicet & authenticæ, præ privata non authenticæ, quæ testibus vel alijs adminiculis munita est: quæ magis caret suspitione falsi, & magis negotio convenit, juxta *Gloss. in c. Impnari, V. Scripturas*: Si verò contrariæ tales scripturæ pariter omnino sint auctoritatis, & omnino æquales, tum absolvendus est Reus, quia Actore non probante absolvitur Reus, etiam si nihil ille probaverit. Si tamen contrarietas talis per commodam explanationem tolli possit, fieri debet, quomodo possit scilicet valere tale instrumentum, & cavere, ne pereat.

## §. XIV.

*An, & quomodo instrumenta reprobantur per testes?*

Si testes omnes in instrumento scripti aut subscripti contradicant illi, asserentes vel non esse ita actum, prout instrumentum asserit, vel se non inter fuisse, cum instrumentum conficeretur &c. reprobum, & fallum redditur instrumentum, nisi testes tales convincantur. *c. Tertio. §. De probat. §. c. Tam licet. §. 33. De Testibus*. Cum enim per testem inscriptorum aut subscriptorum fidem instrumentum firmetur, consequenter si hi negent, subscriptisse se, aut fuisse presentes, dum instrumentum conficeretur, aut contraactus fieret, nulla fides tali instrumento habenda est, si verò non omnes negent, aut contradicant instrumento, sed tantum aliqui, alijs tamen pro valore Instrumenti stantibus, sufficiunt ad valorem Instrumenti susti-

nendum, si duo omni exceptione majores pro illo stent, quamvis plures sint contrarij, cum enim numerus sufficiens & legitimus testium pro instrumento ad sit, non debet reprobari per aliorum supervacaneorum testium contradicentium depositionem, nisi multum excederet numerus testium reprobantium numerum duorum affirmantium; multum tamen in re hac controversa Judicis arbitrio tribuendum.

Sufficiunt tamen etiam duo testes tantum in instrumento non inscripti, neque subscripti, ad reprobandum publicum instrumentum, quamvis directè contra contenta in instrumento non deponant, modò contra instrumentum deponant, ostendendo illis falsitatem, eò quòd Notarius v. g. aut pars contrahens, aut testis inscriptus &c. alibi fuisse probatus eo tempore, quo confectum fuit instrumentum. Et quamvis Notarij auctoritas duobus testibus æquivalat, intelligi tamen hoc debet de Notario vivà voce deponente, non autem de Notarij mortuà voce in instrumento.

Quòd si autem testes non inscripti neque subscripti instrumento deponant contra contenta in instrumento, quòd ab alia parte pro se producitur, Judicis arbitrio relinquendum, num major fides, varijs consideratis circumstantijs, instrumento, an duobus, vel tribus testibus contra contenta in illo deponentibus habenda sit: prout colligitur ex *c. Cùm Joannes 10. h. t.*

¶ (O) ¶

## §. XV.

*Utrum fides sit adhibenda constitutioni Extravagantis Papae, qua allegatur in iudicio, si de ea dubitetur, an sit decretalis authentica?*

**I**n c. Pastoralis 8. h. t. statuitur, ut tali Extravaganti, quæ in corpore Juris contenta non est, si juri communi sit consona, fides habeatur, & secundum eam pronuntietur Judex, cum in tali casu sententia Judicis non tam auctoritate Extravagantis talis, quam juris communis nitatur. Si verò non sit juri communi consona, non judicet secundum eam, sed Superiorem, Papam scilicet auctorem constitutionum Extravagantium prius consulat, cum merito de illius fide dubitetur, quæ sub legitima forma non exhibetur.

## §. XVI.

*De interpretatione, renovatione, & amissione instrumentum?*

**I**nstrumenta stricti juris, & consequenter non extendenda ultra contenta, de quibus Notarius rogatus est, & quibus ipse interfuit, passim docetur ab Auctoribus, qui tamen etiam faterentur, ad successores etiam particulares extendi posse, atque non minus pro, aut contra hos fidem facere, atque pro, & contra Auctorem.

Si periculum sit, ne pereant, aut corumpantur instrumenta, revocari possunt, *Argu. c. Cum dilecta 4. De Consp. nris.* Et quidem in absentia partis adversæ, cum res sit modici, & facile reparabilis præjudicij.

Amissio autem instrumenti, si per calum fortuitum contingit, non præjudicat eodem Creditori, si alijs legitimis probationibus debitum v. g. vel tenorem instrumenti probare adhuc possit; neque tamen etiam ei patrocinatur, ita ut non de illius assertioni credatur. Si vero proprio facto Creditoris v. g. amissum sit instrumentum, eò quòd scilicet, fuerit solutionis spe illud laceraverit, tunc probare hoc debet creditor, pro debito stante liberationis præsumptione, nisi contrarium proberetur. Et si deceptus adversarij debitoris v. g. facto instrumentum interijt, vel amissum fuit, non perinde procedendum in causis privatis est, ac si plenè contra ipsum debitum per instrumentum probatum fuisset, sed in fraudibus & malitijs campus aperitur non autem circa jura Ecclesiæ, quæ, quamvis proprio Prælati sui factum instrumentum perierit, adhuc tamen ad ipsius probanda, si alijs modis tueri non possit, admittitur.





TITVLVS XXIII.  
DE PRÆSVMTIONIBVS.

## §. I.

*Quid sit præsumptio, & quot sint eius species, quive effectus?*

Præsumptio bene definitur, quod sit rationabilis conjectura rei dubiæ collecta ex argumentis & indiciis, quæ per rerum circumstantias plerumque vel frequenter eveniunt. Indicium autem dicitur notabile signum rei, de qua dubitatur, ad veritatem cognoscendam inferriens, & hoc quidem indicium aliud dubitativum est, quod movere quidem potest animum ad credendum aliquid, sed cum formidine, seu virtuali dubio de opposito; aliud indubitatum, quod ad plenum assensum movere animum potest, & quidem remotum aliud, quod minus idoneum est, ad rem demonstrandam, & sæpius fallere potest: aliud proximum, quod magis verisimile est, sive aptum ad rem demonstrandam; & iterum alia sunt levia indicia, quæ vix suspicionem gignunt; alia sunt gravia, quæ opinionem non levem, non tamen omnino certam generant; alia gravissima, quæ pariunt assensum moraliter certum; & ex his inditiis variæ etiam oriuntur præsumptiones vehementes scilicet seu violentæ, quæ habentur ex gravissimis, indiciis; probabiles, quæ minus urgentibus indiciis nituntur, & leves, quæ vix mereantur præsumptionis nomen, sed potius

dici debet ex levibus indiciis orta suspicio satis temeraria.

Præcipua præsumptionis divisio est, quod alia sit hominis, alia juris præsumptio. Illa ex variis indiciis & conjecturis formatur ab homine, seu Iudice; hæc in lege expressa est: illa tollitur per contrariam probationem, hæc tollitur quidem etiam per contrariam probationem, si iuris tantum sit, quia quæ à probationibus provenit fides, magis certa est, quam præsumptio iuris: si autem sit iuris & de iure præsumptio, ita ut non tantum lex ita præsumat, sed dependenter ab hac præsumptione certi aliquid statuatur super præsumpto, & sic velit haberi hoc pro veritate, nulla in contrarium admittitur probatio (nec appellatio, nec iuramentum) nisi aperte constet de veritate, quæ facit omnem præsumptionem cessare; vel nisi confessio judicialis contra talem præsumptionem pugnet, modo sit de facto, quod in illius potestate est, contra quem pugnat præsumptio; vel tantum sit indirecta contra talem præsumptionem probatio; aut pro probatione tali nihil à parte contraria opponatur, cum in tali casu videatur tacite consentire in tollendam præsumptionem, si tamen à voluntate partis dependeat illa, de qua iuris est, & de iure præsumptio.

Potest autem dependenter à præsumptione iuris & de iure, imo iuris tantum ferri à Iudice sententia definitiva cum  
Uu z censea

centetur plena, perfecta, & liquida probatio, modò per contrariam probationem non fuerit improbata. Utrum autem ferri possit sententia, dependenter à sola præsumptione hominis, Judicis arbitrio relinquitur, uti mox dicitur.

## §. II.

*De variis causis, indiciis, seu conjecturis, ex quibus oriuntur ac desumuntur præsumptiones. Et quam vim probationis habeant?*

**E**X vehementi & violenta præsumptione, sive ab adversa parte allegata ea manifestata sit, sive non, sed aliunde in judicio manifestata sit absque alia probatione, procedere potest Judex ad sententiam definitivam etiam condemnatoriam; non tantùm si agatur civiliter, sed etiam in causis criminalibus, non tantùm ad pœnam extraordinariam infligendam, sed etiam ad pœnam ordinariam in criminibus occultis, & quæ sunt difficilis probationis, uti habetur *ex c. Afferte 2. ex c. Liferis 12. Et ex c. Tertio 13. h. t. ne sapius ex defectu probationis alterius jus alteri pereat, aut crimina impunita maneant.*

## §. III.

*Vnde sumantur alia præsumptiones non violentæ?*

**P**rimò quòd in delictis commissis, in dubio v. g. præsumaturs dolus, *ex c. Sicut 1. h. t. pater, qui enim noxius, est alteri, quòd malo animo hoc fecerit, facillè præsumitur, nisi contrarium probetur, vel alia validior præsumptio prævaleat, per quam prior elidatur. Uti patet ex L. 1. Cod. ad leg. Cornel. de sicar.*

Non tamen præsumptio hæc sufficit, quæ est ad solum conatum criminis, certum non secuto, saltem juxta receptam praxim & consuetudinem, quæ nisi effectus sequatur, conatum solum ordinari pœnâ, quâ crimen tale puniri solet, non punit, nisi lex expressa etiam hoc precipiat, aut crimen sit valde atroc, & actus valde propinquus effectui pro-

Secundò præsumitur ex bona conversatione in adolescentia, eadem etiam in virili ætate & senectute *c. Ex fratre h. t. Et ex c. Cum in juventute 15. eadem Et juxta illud proverbiorum 22. Adhuc juxta viam suam etiam cum senectute recedet ab ea, & univèrsim ex prætorio rei statu sæpè præsumitur de futuro prout habetur *in c. Scribam 9. h. t. (ubi temporis usu necessariò vel veri iuris immutetur)* & ex præterito de præterito prout *Glossa colligit in c. Scribam 1. ex prius datis & neglectis &c. quæ tamen præsumptiones sæpius fallunt, luxuriosus Angelicus juvenis senibus sathanicis 12. annis.**

Tertiò præsumitur contra illum, qui declinat judicium, & præsumitur pro illi qui se offert judicio, prout constat *ex c. Nullus 4. hoc titulo, (sicut enim illi qui pro mere judicatur conscientia mala, in conscientia, bonâ gaudere videtur) (suggerimen, sive post, sive ante inquisitionem accusationem, metu tamen hujus factum nec semiplenam probatione facit, sed levè tantùm suspicionem, cum magis præsumi debeat fugisse, ad declinandum modicam gravem judicalem processum, quàm de conscientiam criminis, nisi fuga ipsa præcificum delictum in tali persona esset, ut fugit in milite, aut fuga fieret ex publico*

carere, eum hujus effractione, quæ fuga iudicia criminis facit, saltem ad gravio- rem torcuram, & propter violatam publicam custodiam, penam dignam faciat taliter fugientem.

Quod qui ex duobus sibi objectis unum tantum negat, præsumitur alterum tacite fateri *c. Nonne 5. h. t.* quia in tali casu, in quo potest contradicendo impedire actum, taciturnitas pro confessione habetur, ex præsumptione scilicet juris, quæ sæpius fallit, & vix locum habet, nisi circumstantiæ bene expendantur.

Quod V. carius præsumitur, ea scire, quæ in Vicinia facta sunt *c. Quosdam 7. h. t.* si tamen facta talia sint, quæ sunt, communiter nota in tali loco, aut teneatur de his ex officio inquirere in facta vicinæ; in aliis enim casibus regulariter ignorantia facti præsumitur, donec scientia probetur.

## §. IV.

An, & quâ ratione quilibet præsumatur bonus, vel idoneus ad beneficium, officium, vel actum aliquem?

Generalis quidem regula est; quod quilibet præsumatur bonus, vel idoneus ad officium, beneficium, vel actum aliquem, nisi contrarium probetur *c. Dudum 16. h. t. c. Vnico de seruis, in ordin. facien.* Si qualitates, de quibus præsumitur, sint intrinsecæ, seu naturales, non autem si sint merè extrinsecæ, & accidentales, quales sunt studuisse in Academia; esse Doctorem, vel Graduatam, quæ probari debent; & quamvis de intrinsecis etiam qualitatibus morum integritate legitimis natalibus &c. promo-

vens inquirere debeat, sic tamen præsumptio pro talibus qualitatibus, si post inquisitionem nullus defectus appareat, quæ habitas facilius etiam præsumitur in jam promoti, quam in promovendo. Sunt tamen regulæ hujus generalis multæ limitationes, ita ut vera sit illa regula, si in nullius tertii præjudicium vergat illa præsumptio; vel si ipsi, pro quo præsumitur, ex tali præsumptione præjudicium aliquod oriatur, & nisi agatur de salute aut utilitate animæ, ubi melius est, præsumere delictum, quam non præsumere delictum, aut præcedentes conjecturæ de dolo præsumere velint, aut de justitiâ actûs facti, præcisè præsumptio fiat ex honestate, & prudentia personæ agentis.

## §. V.

An, & quâ ratione probari possit matrimonium per præsumptiones, seu conjecturas?

Matrimonium quamvis per solum instrumentum super dote, aut donatione propter nuptias confectum probari non possit, nec per id solum, quod vir & mulier in instrumento se conjuges nominent, nec per solam diuturnam cohabitationem, vel congestationem annuli, nec per solam famam, seu communem opinionem vicinæ habentis illo, pro conjugibus, &c. simul tamen junctæ hæc omnia sufficienter animum Iudicis informare possunt, ad sententiam ferendam pro valore Matrimonii *c. Illud 11. h. t.* Cum hæc omnia fieri possint, non principaliter ad constituendum Matrimonium, sed ex alio fine. Satis tamen his omnibus præsumptionibus videtur

Uu 3 cavisse

cavisse Trident. omne Matrimonium annullans, quod in locis recepti Trident. non est contractum coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus.

## §. VI.

*An quis ex presumptione vehementibus de gravi crimine condemnari possit, & qualis probatio requiratur ad probandum, quod non est verosimile?*

**E**X solis presumptionibus etiam vehementibus non debet quis de gravi crimine condemnari, uti patet ex *c. Litteras 14. h. t.* quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatae, & luce meridiana clariore, nisi tamen sint urgentissimae presumptiones, aut causa non tam gravis, ad quam juxta proportionem gravitatis vehementiores etiam, & graviores requiruntur, uti colligitur ex *s. 2. & 13. h. t.*

Ad probandum autem, quod non est verosimile, cum presumptio juris pro hoc stet, quod verosimile est, non admittitur quaelibet juris presumptio, nisi communis loci fama, vel alia indicia, aut conjecturae concurrant, & testes fortassis, qui contra verosimilem juris presumptionem testantur, sint personae valde honestae, de quibus nulla est suspicio, quod sint corruptae, aut pejeratae;

uti colligitur ex *c. Quia verosimile h. t.*

## §. VII.

*An, & quando Lex fundata in presumptione obliget in foro conscientiae, vel etiam in externo?*

**S**ciens presumptionem, quae contra se stat, quamvis hanc juris sit, uti patet de jure, falsam esse, non tenetur in foro conscientiae ad legis aut sententiae in tali presumptione fundatae observationem, saltem ante sententiam Judicis (quae presumptio cedit veritati) nisi lex non tam in presumptione fraudis, quam in actu intervenientis, sed in genere periculo fraudis fundetur, quamvis in hoc posteriore casu in particulari quo facta cesset fraus omnis, v. g. non tamen cessat in genere periculum fraudis, quod movebat ad legem talem fundam, uti videre est in matrimonio clandestino per Tridentinum irritato. Sententia tamen & auctoritate Judicis appellari potest talis, quamvis pro se veritas habeat, contra se tamen juris presumptionem, ad legis talis aut sententiae contra ipsum latae observationem, cum in externo sententia ex probatione procedat, & consequenter, si veritas probata non sit, probata autem sit presumptio, non illi assistet Judex.



## TITVLVS XXIV. DE IURE JURANDO.

### SECTIO I.

#### De Juramento in genere, & variis juramentis, tum licitis, tum illicitis.

##### §. I.

*Quid sit juramentum, & de con-  
ditionibus ad illud requisitis, variisq;  
jurandi formis, ac modis.*

Juramentum rectè definitur, quòd sit invocatio Divini nominis in testem, quòd duplici modo fieri potest, vel affirmando, aut negando sub invocatione Divini nominis in testem, & habetur juramentum assertivum; vel promittendo aliquid cum juramento, & habetur juramentum promissorium. Potest autem Deus in testem vocari explicitè, vel implicitè, jurando scilicet per creaturas, quatenus in illis reluceat Deus; uterque jurandi modus licitus est secundùm se, *c. Etsi Christus. 26. h. t.* si suos tres comites habeat, veritatem scilicet (ut res quæ juratur, vera sit, sive ita se habere puerit, sicuti juratur) judicium (ut non temerè, & sine necessitate, utilitate, ac pia affectione juretur) & justitia denique, ut licitum scilicet sit, ac honestum, quòd juratur. Sunt autem jurandi formulæ variæ, quas magis ex usu Patriæ, juxta quam jam hoc, jam illud, pro jura-

mento habetur, etiamsi explicitè Divinum nomen non invocetur in testem, & ex Theologia morali discere potes, quàm ex jure Canonico; ex quo tamen satis certum est, quòd ex natura rei non requirantur verba formalia ad juramentum (valde tamen convenientis est, ut in foro externo per verba juretur) & quamvis juxta SS. Canones juramentum fieri debeat, tactis, vel propositis saltem Evangelii, quòd in juramento solemnè sæpe servatur, consuetudo tamen maribus præscripsit, ut erectis cum pollice duobus primis digitis manûs dextræ, reliquis duobus in depressis; foeminis verò, ut jurent ad sinistram pectoris partem positâ dexterâ; Sacerdotibus denique tangendo pectus, ut jurent.

##### §. II.

#### De divisione juramenti.

Juramentum dividitur primò in assertorium, & promissorium, uti jam dictum, ita ut ad juramentum promissorium non tantùm reducatur juramentum, quo confirmatur promissio, sive pactum, sed juramentum etiam fidelitatis & obedientiæ, quòd Episcopi in sui Ordinatione, & Abbates in sui benedictione, si à Pontifice confirmationem suæ dignitatis accipiant, præstare debent Summo Pontifici. juxta *c. Ego. 4. h. t.* Et quòd Romanorum Imperator in sua

coro-

coronatione Ecclesie Romanæ, & Summo Pontifici præstare solet, ut patet ex *Clement. Romani h. 1.*

Secundò dividitur iuramentum in contestatorium, sive illud, quod fit per simplicem contestationem Divini Numinis, sive quando simpliciter Deus in testem vocatur: & in iuramentum execratorium, quod fit sibi ipsi, vel aliis dilectis, vindicem Deum, sive malum à Deo immittendum imprecando. De quo Theologi Morales.

Tertio dividitur in iuramentum iudiciale, & extrajudiciale. Hoc extrajudiciale fit, & satis explicatur à Theologis Moralibus. Illud in iudicio fit, & in diversas species subdividitur, ita ut aliud dicatur iuramentum calumnie, de quo in Tit. 7. hujus Libri. Aliud dicatur in litem, cujus tres sunt species. Prima est iuramentum veritatis, sive veræ æstimationis, quod deferretur parti, ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius malitiam ablata, præcedente tamen iudicis taxatione *c. ult. De his, qua vi metusve, &c.* Secunda est iuramentum affectionis, per quod rationes pecuniarum affectionis, aut utilitatis erga rem sibi deperditam, conceditur huic parti, præcedente tamen iudicis ratione, rem majoris æstimare, quam communiter valeat. Tertia est iuramentum super interesse singulari, & extra rem, quando scilicet damnum passus fuit ex non restituta re sua, quod iuramento æstimare permittitur. Aliud denique dicatur litem decisivum, quod in iudicio ad finendam litem nonnunquam deferretur, & si quidem hoc à parte parti deferretur, quod simpliciter recusari potest, dicitur vo-

luntarium; Si verò iudice approbata deferatur à parte parti, ita ut reus parte possit, dicitur iudiciale speciale. Necessarium verò denique dicitur, quod ob inopiam plenæ probationis à iudice alterutri parti litigantium, vel ex officio vel ad instantiam alterius partis detur, & suppletorium etiam dicitur, ac iudiciale, si iusta causa recusari non potest.

## §. III.

*Qua persona in iudicio jurare possint?*

**O**Mnes homines rationis usque ad senectutem, & ex natura rei sunt capaces iurandi in iudicio, etiam pueri ante pubertatem, ut constat *ex c. 1. In de iur. iur.* Cogendi tamen impuberes non sunt, ad iurandum in iudicio, ob defectum perfectæ discretionis ad reverentiam iuramenti requisitæ; sed nec Sacerdotes, & Clerici, & Presbyteri, & Leviti causa compelli debent, ad iurandum in iudicio, *can. Si quis Presbyter, &c. c. 2. q. 5.* neque enim iuramentum sacrarium est, nisi quod fidei iuramentum, & omnia deferantur, quod Sacerdotes dignitas dicere non patitur: perjurium vero nullo modo admittendi sunt, ad iurandum in iudicio, quia cum semel perjuraverint in iudicio, periculum est, iterum pejerent.

## §. IV.

*De variis iuramentis illicitis, quæ iuramentum non obligant.*

**I**uramentum de re illicita, aut immoribus, ac rectæ rationi repugnante, scienter factum, quod observari non debet, regula generalis est; cum iuramentum

tum non sit vinculum iniquitatis, neque opus est absolute à tali iuramento, cum nullam pariat obligationem; & hinc iuramentum Principis de servanda moneta cusa, quam tempore editi iuramenti scit in legitimo pondere esse vitiatam, illicitum est, & non servandum. Si verò ignoravit, monetam illam falsam esse, cum iuravit, iuramentum, quo potest modo, aliam scilicet monetam probam, aut aliud æquivalens substituendum servari debet, ut patet ex *c. Quanto* 18. *h. t.* Secundò non valet iuramentum Prælati de non repetendis rebus, seu bonis Ecclesiæ per vim injustam ablati. *c. Pervenit* 2. *h. t.* neque valet iuramentum Regis, qui bona ac jura ad Coronam pertinentia alienans jurat, ea se non repetiturum *c. Intellecto* 33. *h. t.* neque obligat iuramentum, quo Prælati iuravit, servaturum se aliqua, quæ in Episcopalis Dignitatis, Potestatis, aut Prælaturæ præjudicium vergunt, prout sumitur ex *c. Sicut Nostri* 27. *h. t.* Tertio non obligat iuramentum Patronis ad beneficia presentantibus factum, de antiquo censu, sive pensione augenda. *c. Prohibemus* 7. de censibus *et c. Gravis* 15. junctâ *Glossa V. absolvi Eodem et c. Tua Nos* 12. *h. t.* Quartò non obligat iuramentum Religiosi jurantis, se cum aliis in Monasterio, in quo professus est, non permanurum. *c. Sicut* 13. *h. t.* neque filii aut aliarum personarum conjunctarum, de non loquendo Patri, aut Matri, aut aliis sanguine junctis, aut de non submittendo his necessaria subsidia, prout possunt, & debent *c. Cum quidam* 12. *h. t.* Illi verò *h. t.* Quinò non obligat iuramentum fidelitatis præstitum illi, cui

*Pirhing. C. compend.*

non debet præstari, si tamen contrarietur ei, quod alteri jurans præstare debuisse. *c. Eate* 22. *h. t.* Sextò denique non obligat iuramentum, quod quis fecit, de re aliqua sibi sub secreto commissa, non revelanda, si legitime in testem productus hic, qui iuravit, à iudice interrogetur, cum ex diversis rationibus hæc omnia iuramenta illicita sint.

## §. V.

*De quibusdam Juramentis illicitis, quæ inter Conjuges edisoleant.*

Primo si Conjuges temerè & sine justa ac honesta causa ex odio v. g. aut vindictæ alicujus cupidine, non tamen pietatis, ac continentiæ amore iuramentum faciant, debitum conjugale sibi invicem non reddendi, nec petendi, & perpetuam separationem servandi quoad thorum, non est obligatorium iuramentum tale *c. Tua Nos* 24. *h. t.* Secundò si Maritus Uxori iuramento promittat, quòd non sit de illo crimine committendo eam accusaturus, nihil obligat tale iuramentum *c. Quemadmodum* 25. *h. t.* Tertio non probat iuramentum contractum inter aliquos Matrimonium, quamvis ab uno eorum contractum tale fuisse iuret. *c. Mulier* 34. *h. t.* Cum etiam hæc iuramenta vel sint illicita, vel temeraria, vel ad cavendas multas fraudes nihil probantia.

## §. VI.

*De iuramentis licitis, quæ observari debent, & obligant, donec relaxentur, & jurans ab eis absolvatur.*

Generalis regula est, quòd iuramentum observandum sit, & obliget, si

XX

non

non vergat in interitum & dispendium æternæ salutis, neque in alterius redundet præjudicium. *c. Si verò 8. c. Cum contingat 2 8. h. t. §. c. Quamvis 2. de peccatis in 6.* Ita ut qui, sine impedimento aliquo necessario, sed ex spontanea tantum libertate illud non observat, perjurii reus habeatur, *c. Querelam 10. h. t. c. Cum quidam 12. Eodem*; Et qui post electionem suam ad Prælaturam aliquam, pro obtinenda confirmatione post Juramentum calumniæ v. g. vel veritatis præstitum, positiones aut responsiones manifestè contrarias affert, à confirmatione, & jure electionis repelli debeat tanquam perjurus, cum justam causam nullam habeat, talia contraria producendi *c. Cum in positionibus. 3. h. t. in 6.*

## §. VII.

*An, & quâ ratione obliget juramentum de solvendis usuris, vel solutis non repetendis.*

**I**nter juramenta, quæ ex parte recipientis tantum turpitudinem continent, non tamen ex parte jurantis, est juramentum de usuris solvendis, ad quod observandum, non quidem ex obligatione iustitiæ, sed in reverentiam Divini Nominis, quod jurando solutionem interposuerunt jurantes, cogi possunt *c. Debitorum 6. h. t.* Quamvis enim recipiens usuram turpiter & illicitè faciat, eas accipiendo, nihil tamen peccat, qui eas solvit, ad quas, mutuum sub usuris ex causa necessitatis fortassis accipiendo sub juramento se obligavit. Quin imo, etiam si Mutuatarius promittendo sub juramento usuram, fortassis peccaverit, taliter jurando, mutuum scilicet, taliter petendo, sine

ulla necessitate, aut utilitate, vel alterius ad usurarium tale mutuum inducendo, manet tamen adhuc ex juramento obligatus, ad solvendas usuram, cum juramentum tale, quamvis illicitum fuerit, non sit tamen de re illicita, quæ sine peccato impleri non potest, cum ex parte dantis usuram non sit turpitudinis, sed ex parte recipientis tantum, qui, quæ sub juramento sibi promissa sunt, remittere potest, & si non remittat, quamvis mutuatarius agat, alter tamen, qui ut reverentiam juramento servet, eas solvit, nihil delinquit, neque ullo modo alterius iniuste acceptioni cooperatur, cum quod solvit, faciat ex causa justa & rationabili. Creditor, qui usuram tales accipit, per censuram etiam Ecclesiasticam compelli potest non tantum ad remittendum juramentum, sed ad solvendas usuram retribuentas *c. Ex administrationis 1. h. t.* (Cum nullum jus sive dominium ad usuram acquisitum illi fuerit, sine iustissimo titulo eas accipiendi) & statim eas repetere possit per conditionem siue causam, quæ eas solvit; quo remedio si uti noluerit, solvit usuram, potest petere, ut compellatur Creditor, ad relaxandum juramentum, modò petitio talis fiat intra tempus solutioni præfixum nondum finitum, cavendam perjurii notam; vel potest accipere contra Creditorem, si in iudicio de solutione faciendâ conveniatur, non potest ipse iudicis etiam secularis officium implorare, ad remittendum tale juramentum, sine quo remissio, ad solvendum saltem momentaneam faciendam obligaretur, non quidem ex iustitia, sed ex religione juramenti.

Juramentum verò de non repetendis



usuris, si debitor hoc iuravit, illicitam fecit repetitionem; nisi prius iuramenti talis relaxatio impetretur. *Arg. c. Ad audientiam 4. De his qua vi met. cau. Sc.* Quia iuramentum hoc, cum sine peccato servari possit, obligat, nisi nova causa repetendi superveniat, quo in casu cessat obligare prius factum iuramentum, quod strictæ interpretationis est. *Ad Nostram 20. h. t.* Et de iure postmodum exorturo intelligi non potest. Interim tamen certum etiam est, quod hoc iuramentum denuntiationem Evangelicam usurarii, ob delictum commissum, non impediatur, ad corrigendum scilicet delinquentem, & peccatum impediendum (cum iuramentum non fuerit de non denuntiando ad correctionem, sed de non accusando ad pœnam) ita ut parte etiam non petente, Iudex ex officio inquirere possit contra usurarium, in ordine ad restituendas usuras, & possit Iudex Ecclesiasticus edictum generale promulgare, quo præcipiatur sub censuræ interminatione, ut qui criminis usurarii, quamvis iuraverit, crimen se tale non manifestatarum, notitiam habent, illud deuntent, vel in iudicio de eo deponant.

## §. VIII.

*An iuramentum vi, ac metu extortum, vel dolo aut errore præstitum obliget, ac servandum sit?*

Si possit absque peccato jurantis impleri iuramentum, quod gravi metu iniuste incusso extortum est, obligat illud, nisi vel à parte, cui factum est tale iuramentum remittatur illud, vel à legitimo Superiore relaxatum sit. *c. Si vero 8.*

*Sc. Verum 15. h. t.* Metus etiam quamvis gravis sit, & sit iniuste incussus, non tollit absolute voluntarium, ut ex dictis jam patet; neque tamen efficaciter etiam præjudicium facit juranti, quamvis metu levi tantum extortum sit, aut in observatione illius tantum venialiter peccaretur, in favorem illius, qui per metum talem iuramentum tale extorsit, ne hic ex malitia sua commodum habeat.

Si tamen ex errore & dolo præstitum iuramentum fuerit, & hic fuerit antecedens, sive causam contractui dederit, verseturque circa substantiam rei juratæ, nullum tale iuramentum, & irritum est, nec relaxatione indiget, cum error talis, aut dolus omnem consensum tollat, si verò sit circa qualitates, sive circumstantias tantum accidentales, iuramentum est validum, nisi qualitates tales redundent in substantiam rei, de qua Theologi Morales videri possunt.

## §. IX.

*De alijs nonnullis iuramentis licitis, qua obligant, & omnino servanda sunt.*

PRIMO obligatur suo iuramento debitor, qui expresse, vel tacite iuravit Creditori, quod super re oppignorata, ob fructus ex ea perceptos, & consumptos, nullum gravamen, aut molestiam ei illaturus sit, neque pignus repetiturus, donec pecunia mutuo accepta sit illi soluta. *c. Ad nostram 7. h. t.* Secundò obligantur suis iuramentis Abbat & Monachi, qui pro sui Monasterii debito iuraverunt, quod velint obsides (minus rigide sumendo hoc nomen) manere interim, dum debitum sit solutum, uti & si de-

X x 2

iussor

iusiores, qui iurancunt Creditorem se velle indemnem, prout statuitur in *c. Ex rescripto 9. h. r.* Tertio obligatur suo iuramento, qui iuravit, quod iura Ecclesie alicuius pro viribus suis defendere velit, ita ut si deinde recurrente necessitate sub iuramenti debito requisitus eam non defendat, sed ad Superiorem appellet, a peritio non excusetur, nisi alia eum difficultas succurrere Ecclesie impediatur (prout statuitur in *c. Brevis. 17. h. r. Jun-Elâ Gloss. V. Difficultas*) aut Ecclesia nolit eam v. g. constitutam pensionem dire huic, qui defensurum se, sub conditione pensionis illius solvendæ iuravit, aut hic per alium æque idoneum iura Ecclesie defendere velit, aut causam manifestè iniquam foveat Ecclesia: in his enim casibus, cum in eorum aliquibus sine peccato observari non possit iuramentum, aut sine corporalis salutis interitu, vel Ecclesia conditionem positam implere nolit, aut hic, qui iuravit, per æquè idoneum obligationi suæ satisfacere velit, factum iuramentum non obligat,

## SECTIO II.

### De Iuramento litis decisivo.

#### §. I.

*An iuramentum litis decisivum à Iudice, vel à parte alteri litiganti deferri possit?*

**I**udex potest ex officio parti litiganti, Actori vel Reo iuramentum litis decisivum deferre, nec à parte ut sic delatum recusari potest, nisi causam recusandi habeat, eamque alleget, & probet;

aut nisi iuramentum tale à Iudice sit delatum alteri parti litiganti referre velit, prout constat ex *c. Iuramentum 38. h. r.* Quia potissimum litium expediendum remedium est, si alize probationes desint iuramentum. Sufficit autem causæ recusandi tale delatum iuramentum plures, is scilicet, cui defertur iuramentum rei probatus sit; vel probabilem oblivionem alleget; vel actio sit talis, quæ non potest quis conveniri; vel si actor probavit suam intentionem, vel si aliter nihil probante, reus sit absolvendus.

Si tamen pars parti iuramentum in iudicio deferat, quod fieri potest ex *c. Iuramentum*, patet, simpliciter a parte, cui defertur recusari potest, vel deferri potest, neque enim una pars alteram, in quam potestatem habet, compellere potest, ad iurandum, & consequenter simpliciter hoc sic delatum recusari potest, refertur tamen etiam potestatis æquum est, ut hic patiatur legem quam ipse tulit. *c. Cum omnes 6. de Casibus*. Ita ut nisi relatum taliter probatum ex juris dispositione in causa principalis non amplius audiatur, sicuti reus, à delatum à Iudice iuramentum nec probare velit, nec referte, pro confesso habetur. Exipiuntur tamen casus, quo per probationes suam causam probare vel Reus, vel quo Actor super facto aliter quod plene probare non potest, iuramentum Reo defert, vel versetur iudicium circa causam famosam furti v. g. excipit Pontifex in *cit. c. Iuramentum*. In quo casu reus per se quæ notioris notitiam habet, quam Actor, & consequenter delatum sibi iuramentum referre non potest.

## §. II.

*Virum, cum à Iudice, ob inopiam probationis, in causa dubia iuramentum deferretur, illud Reo ad purgationem sui sive innocentiam suam demonstrandam, an verò Actoris in supplementum probationis deferri debeat?*

**N**on potest certa regula generalis hac in re tradi, sed Iudicis arbitrio ex inspectis prudenter circumstantiis res relinquenda est. Uti colligitur ex *c. i. c. Inramentum §. sane h. t.* ordinariè quidem, & ceteris paribus reo potius deferendum erit à Iudice iuramentum, si actor probavit causam suam semiplenè, cum favorabiliores sint Rei partes, qui etiam sine iuramento absolvendus est saltem ab hac instantia, si actor nihil probavit: si tamen actor semiplenè probavit, nihil contra eum probante, sed tantum negante reo, iuramentum deferretur actori, qui de iure suo probavit aliquid, cum alter nihil probaverit. Plura tamen attendere debet Iudex in hoc iuramento deferendo. Primò, ut fiat præmissa causæ cognitione. Secundò ut actor semiplenè probaverit. Tertiò ne deferatur hoc iuramentum ei, qui cognitionem rei non habet. Quarò ut is, cui deferretur, non sit persona vilis aut infamis, sed fide digna, & honesta, nec suspecta de perjurio. Quinò ut causa non sit ardua, & magni momenti, in qua non deferretur iuramentum hoc: &c. Posito tamen, quòd actor plenè probavit per duos testes v. g. omni exceptione majores suam intentionem, reus tamen per unum testem contrarium semiplenè probet, non poterit reo in supplementum probationis plenè

deferri iuramentum, quia actoris plena probatio dedit semiplenam probationem Rei.

## §. III.

*In quibus causis iuramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive à parte, sive à Iudice. Et in quibus non possit?*

**I**n omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam à parte parti deferri iuramentum voluntarium, quia tale iuramentum vim transactionis habet: necessarium verò iuramentum à Iudice in supplementum probationis ad petitionem Actoris Reo deferri potest in quavis quidem causa, ob *L. in bona fidei 3. Cod. de Reb. cred.* Excipiuntur tamen primò causæ criminales, in quibus potest quidem Iudex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam iuramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori seu accusatori in supplementum probationis, cum in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridianà clariores *Leg. ult. Cod. de probat.* Excipiuntur secundò Causæ famosæ, & arduæ, quamvis his in causis multum possit Iudicis arbitrium. Tertiò excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus regulariter iuramento suppletorio locus non est.

## §. IV.

*An, non solum ad petitionem partis, sed etiam eà non petente, iuramentum suppletorium deferri possit à Iudice, Et de tempore, quo illud deferendum est.*

**A**d primam quæstionem *R.* non tantum posse Iudicem hoc facere ex officio

officio suo, & eodem non implorato, sed etiam subinde debere, si id expedire æquum videatur, prout sumitur ex *cit. c. nls. §. Sanè h. t.* Cum enim Iudex pro veritate eruenda modis omnibus laborare debeat, consequenter, si aliter veritas haberi non possit, & æquitas hoc permittat, potest etiam per iuramentum eam explorare.

Ad secundum quæstionem *æ.* quod pars litigans ante conclusionem in causa possit, ac debeat petere delationem iuramenti suppletorii, etiam si terminus ad probandum præfixus jam elapsus sit, & nulli testes amplius produci possint, cum in iuramenti talis delatione non sit periculum subornationis, aut perjurii, sicuti posset esse in testium productione: postquam tamen in causa conclusum est, per quam partes omnibus ulterioribus probationibus renuntiant, & os quasi claudi sibi permittunt, nulla quidem à partibus peti potest iuramenti suppletorii delatio, potest tamen hoc Iudex, si æquitas postulare videatur, ex officio deferre etiam in instantia appellationis, quia in ordine ad Iudicem nunquam in causa concluditur.

§. V.

*Quando, & in quibus causis Iudex possit ex officio à partibus exigere iuramentum de dicenda veritate?*

**I**n causis, in quibus periculum animæ aut peccati subest, potest Iudex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint præsumptiones aliquæ, exigere iuramentum de veritate dicenda à partibus, cogendo etiam eas, ad id cen-

suris Ecclesiasticis. Uti habetur in *c. Ead. teris 32. h. t.* cum Iudicis sit, inquirere & quantum potest, cogere ad veritatem dicendam.

### SECTIO III.

#### De interpretatione iuramenti.

§. I.

*Quomodo interpretandum sit iuramentum?*

**Q**uoad obligationem suam strictam iud interpretari oportet, quatenus materia circa quam versatur, & pacti vel promissionis, cui adijciuntur, miserint, quia ubi de obligatione iuramenti stricta fieri debet interpretatio, iuxta *l. Quidquid 99. ff. de V. O.* Et cum non favor nec reverentia iuramenti tantam extensionem exigant, sanctius servanda si stricta illius sit interpretatio: Et hoc iuramentum generaliter editum ad servanda statuta v. g. extendi non potest, statuta illicita *c. Contingit 1. h. t. in c. Clericus 35. h. t.* neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta iuramenti facti explicatio ad hæc talia se non extendat.

Debet tamen iuramentum præfixum circa materiam Iuris, vel circa eas, quæ concernunt, intelligi secundum iuramentum communis dispositionem, & ad illud restringi, neque ultra extendi, *Gl. in c. Primum V. Declaramus h. t. in c. Ad nostram 21. h. t.* Cum intentio iurantis alia esse non potuerit, nisi iuris communis observatio.

## §. II.

Alia quedam Regula traduntur  
circa interpretationem Iu-  
ramenti.

Generalis & optima regula est, quod  
Iuramentum bonâ fide præstitum  
interpretandum sit iuxta intentionem ju-  
rantis, & ad incognita juranti, vel de  
quibus verò similiter non cogitavit, ne-  
que sub Iuramenti obligatione in se sus-  
cipere voluisset, extendendum non sit,  
iuxta *c. Veniens 16. junct. Gloss. V. Pra-*  
*sumpsisset h. 1.* (Cum in tali casu defuerit  
voluntas, se obligandi ad incognita, vel  
tam ardua, quæ occasione Iurandi non  
præbuerunt) quod ipsum etiam probat-  
ur ex *c. Quintavallis 27. h. 1. & ex pe-*  
*titorio 31. Eodem.*

Soler quidem ordinariè etiam dici,  
quod Iuramentum fortiatur naturam &  
conditiones actûs, cui adjungitur, &  
iuxta illas sit intelligendum, cum acces-  
sorium sequatur naturam principalis iuxta  
*reg. Iur. 4. 2. in 6.* Et sumitur etiam ex  
*c. Quemadmodum. 25. h. 1.* Sæpè tamen  
non tam accessorium Iuramentum est  
confirmans præcisè actum cui adjungit-  
tur, sed per se stans, & principaliter ob-  
ligationem inducens, quo in casu etiam  
si promissio nulla sit, sua tamen Iura-  
menti est obligatio, & consequenter  
non induit naturam actûs, cui adjungit-  
tur: nunquam tamen ita explicandum  
est, ut cum alterius gravi præjudicio seu  
incommodo obliget, ut colligitur ex *c.*  
*27. h. 1.* quia tale Iuramentum est contra  
Iustitiam jus alterius graviter lædens.

## §. III.

De conditionibus, quæ ipso Iure  
tacitè insunt Iuramento, & plerumq;  
subintelligenda sunt.

Quod Iuramento promissario tacitè  
quædam conditiones generalales in-  
sunt, secundum quas obligatio Iura-  
menti attendenda est ex dictis jam patet,  
& ex *c. Quemadmodum junct. Gloss. V.*  
*Conditio*, ita tamen, ut tales conditiones,  
quæ suapte naturâ tali Iuramento tacitè  
insunt, etiam si exprimentur, non faciant  
Iuramentum conditionatum, & particula  
*Si pro Quia* accipiatur, prout etiam su-  
mitur ex *c. Significasti 4. junct. Gloss. V.*  
*Conditio de elect.* Tales conditiones  
sunt primò, si potuero, quia ad impos-  
sibile nemo potest obligari. Secundò, si  
licitè potuero, quia Iuramentum non  
est vinculum iniquitatis, & quod justè, ac  
licitè fieri non potest, non dicitur homi-  
ni possibile. *Can. faciat. 15. junct. Gloss.*  
*V. Quod potest causa. 22. q. 2.* Tertio, si  
Deo placuerit; quia Deo non placent,  
nisi licita. Quarto, salvo Iure, & aucto-  
ritate Superioris, quæ in omni Iuramen-  
to excepta videtur, cum subditus obliga-  
re se non possit in præjudicium auctori-  
tatis Superioris, quominus hic in mate-  
ria sibi præjudicante Iuramentum irrita-  
re possit. *c. Veniens 19. h. 1.* Quintò,  
nisi is, in cujus gratiam vel utilitatem ju-  
ratum est, obligationem remittat, quia  
invito, & non acceptanti meam promif-  
sionem, aut remittenti (saltem tacitè)  
obligari non possum, si tamen principa-  
liter tale Iuramentum promissorium non  
sit factum Deo, quo in casu ex probabili  
sententia homo, quamvis in gratiam  
ipius

ipſius etiam factum ſit juramentum, non poteſt remittere hoc, cum non ſit ipſe, cui principaliter juramento promiſſum quid eſt, ſed DEUS, qui quamvis juramentum remittat, ſi principaliter homini illud factum ſit, & hic illud remittat, non remittit tamen ad remiſſionem hominis, ſi principaliter ſibi juramento promiſſum quid ſit. Sexto ſubintelligitur in quovis juramento, etiam hæc conditio, ſi res non fuerint notabiliter mutata, poteſt enim eſſe tanta mutatio, ut verifiſſime non ſit, voluiſſe ſub juramenti obligatione rem etiam taliter mutatam intelligere. Septimo, in reciproco pacto, aut contractu ea etiam conditio intelligitur, ſi pactis ſuis, & promiſſis alter ſteterit, ac fidem ſervaverit; neque enim fidem debeo illi, qui frangit fidem *c. Peruenit 3. h. t. & c. Sicut 29. Eodem.*

#### SECTIO IV.

*An, & quâ ratione Juramentum habeat vim confirmandi pacta, & contractus?*

##### §. I.

*An juramentum habeat vim confirmandi contractus, qui, eo ſecluſo, ipſo jure ſunt irriti?*

**N**on poteſt juramentum confirmare contractus jure naturæ irritos (quia verſantur tales contractus circa materiam illicitam jure naturæ) poteſt tamen confirmare eos contractus, qui jure Civili tantum ſunt irriti, aut reſcindi poſſunt, ut non tantum habeant obligationem ex religione, ſed etiam ex juſticia, ſi ſcilicet

nec ex parte contractus, nec ex parte perſonæ, cum qua contrahitur, aliâ turpitudine, nec principaliter turpitudine à jure poſitivo contractus talis ab hoc commune, quia & hic contractus contra bonos mores civiles. *c. Quamvis 18. c. Cum contingat 28. h. t. & c. Quamvis 2. in eodem in 6. & c. Quamvis 1. in 6. in 6. Ut ne ſcilicet in reſtaſis juramentum tale ſit praſtitum, tamen enim dolo etiam extortum juramentum ex virtute religionis lapſum non videndum ſit, ſi ſine diſpendio ſalutari vari poteſt, conſequenter ex clauſula addita reſcè colligitur, aliunde etiam obligationem eſſe, ex juſticia ſcilicet, etiam confirmatur ex *Antheſi. Sacramenta puerum Cod. Si ad verum rationem.* Tales autem contractus, jure Civili ſunt irriti, per juramentum tamen confirmatur, ſunt plures, ſcilicet fundi dotalis, & donatio propter nuptias, contractus minorum per re immobili, vel mobili, quæ ſervari poteſt; donatio inter viros & mulierem, & liberos non emancipatos, renuntiatio filii de non lucrativo paterna hereditati; donatio excedens centum ſolidos, non facta in reſtatione apud Iudicem; promiſſio tuendi certum heredem, aut non testandi testamentum, quæ promiſſio habet occasionem captandæ mortis; renuntiatio omnium honorum; mutatio familias cum renuntiatione Senatû Conſulti Macedoniani; fidejuriſſio mulieris, cum renuntiatione Senatû Conſulti Velleiani; renuntiatio pacti tuendi exceptione non numerata per*

niz, promissio pœnz sponsalibus adiectæ & solvendæ à resiliente &c. Si tamen us positivum non tantum contractum, sed etiam adiectum iuramentum irritum reddat, non potest per hoc confirmari contractus, cum iuramentum tale nullam vim obligandi habeat, prout communiter dicuntur, ea iuramenta infirma, & nulla esse, quæ adieciuntur pactis v. g. bono publico repugnantibus, sive quæ adversantur bonis moribus civilibus, cum Republicæ damno, cuiusmodi turpe pactum, & iuramentum ab utroque iure irritum est, si quis puellæ sub iuramento pro nitat matrimonium, si uxor sua moriatur, vel quoddam remittere velit dolum furtum, vel aliam iniuriam, si impostitum committatur.

## §. II.

*Unde cognosci possit, quando iuramentum habeat vim, confirmandi contractus, vel non, & quos effectus habeat iuramentum confirmatorium contractus?*

**N**on confirmatur iuramento pactum v. g. quod à jure positivo civili etiam, principaliter prohibetur, & irritatur, ob publicam utilitatem, prout jam dictum, cum juri publico, pacta privatorum etiam iuramento confirmata derogare non possint: confirmatur autem pactum v. g. quod quidem prohibitum est, principaliter tamen & directè ob privatam utilitatem paciscentis, etiam si secundariò & indirectè etiam bonum publicum concernat tale pactum, cum quilibet possit renuntiare juri in favorem suum introducto. Quod si tamen in culpabile præjudicium tertii non quidem

*Pluring. Compend.*

indirectè tantum, sed directè pactum tale v. g. tenderet, non confirmaretur iuramento, cum iuramentum tale esset de re iniqua.

Sunt autem plures effectus iuramenti, quod confirmat pactum v. g. de jure invalidum. Primus, est quoddam ex tali iuramento oritur duplex obligatio, una respectu DEI ex virtute Religionis, altera erga hominem, cum quo pactum initum est ex justitia, vel fidelitate. Secundus est quoddam, si ab alio quam Creditore relaxetur tale iuramentum confirmatorium, maneat tamen obligatio justitiæ, aut fidelitatis erga paciscentem v. g. quia obligatio in tali casu non tantum provenit, ex vi iuramenti, sed ex legis dispositione, pacta talia v. g. iuramento confirmare volentis, si tamen Creditor remittat tale iuramentum in sui favorem præstitum, omnino dissolvitur contractus, vel pactum iuramento confirmatum, quia hic talis, quod pro suo favore pugnat, remittere potest. Tertius effectus est, quoddam iuramentum confirmatorium irrevocabiliter servandum sit, ita, ut non liceat repetere id, quod solutum est. Quartus est, quoddam pariat actionem in iudiciis, quia inducit etiam civilem obligationem, ex qua actio in foro externo oritur. Quintus est, quoddam ordinariè non possit illius relaxatio obtineri, quia cederet talis relaxatio in præjudicium tertii. Sextus est, quoddam transeat talis pacti aut contractus obligatio etiam ad hæredes ad quos iura & onera defuncti transeunt.

§. III.


Y y

§. III.

## §. III.

*An iuramentum habeat vim irritandi, aut confirmandi contractus in totum contra prius iuramentum, illos non celebrandi?*

**A**ctus, qui contra prius iuramentum de eo non ponendo fit, est validus, si se cluso iuramento validus esset, cum totam suam vim habeat à libera voluntate ponentis illum, & prius iuramentum de eo non ponendo tantum faciat illicitum, non autem invalidum actum, quamvis periurus hic sit, qui contra prius iuramentum sic agit. Et hinc matrimonium de presenti validum est, contra priora sponsalia iurata contractum; venditio vel donatio facta traditione valida sunt, quamvis prius nec donaturum te, nec venditurum iuraveris; revocatio procuratoris aut testamenti valida est, quamvis prius iuraveris, te non revocaturum. Quod si tamen actus, qui fit contra prius iuramentum, per se & absque iuramento invalidus sit, non confirmatur per tale iuramentum posterius factum, neque enim potest obligare hoc iuramentum posterius, cum faciat perjurii reum iuramentum, sic vinculum esset iniquitatis. Si verò actus qui iurati fuerunt, sint contrarii, tum si prior est invalidus, posterior est in validus, etiam si huic iuramentum accedat, cum hic posterior actus impleri non possit sine iniuria prioris iuramenti.



## SECTIO V.

## De obligatione &amp; relaxatione Juramenti.

## §. I.

*An obligatio Juramenti sit personalis, an verò realis? ita ut ad heredes transeat.*

**J**uramentum quia tale, semper personale est ex parte illius, qui iuravit, & ex virtute religionis ad præstandum, quod se obligavit, ita ut illius ex virtute religionis obligatio ad successores, heredes, vel alios, qui non iuraverunt, non transeat, quamvis suo & successorum iuramento nomine iurans aliquid promiserit. Possunt quidem isti nonnunquam obligari ad id præstandum, quod alter iuravit, non tamen obligantur ex vi iuramenti in illo præstiti, (nisi hoc ipsum in se habuerint) sed ex vi pacti (saltem taciti) & iustitia ad idem præstandum obligantur. Sicut enim nemo jurat, nisi sua voluntate, ita nemo alius iuramenti hoc vinculo obligatur, si non ipse etiam idem iuramento promiserit; & quamvis possit iuramentum per Procuratorem præstari, ut patet c. vlti. De iura. calum. in 6. (Quia quis quis facere potest per seipsum, etiam potest per alium. Reg. juris 68. in 6. (mandat Procurator speciale mandatum habeat, ad taliter alterius nomine iurandum, & actus talis sit, qui per alium geri possit, non tamen ipse Procurator iuramento obligatur, quod præstitit etiam mandato, & locò alterius, sed ipse principalis.

Ex parte tamen illius, cui præstitum iuramentum



juramentum, reale illud est, ita ut ad hæredes transeat, & si jurans super vivat eum, cui juravit, hæredibus illius solvere teneatur, quod promissit, uti habetur ex l. Si pactum 9. ff. de probat. & ex c. Veritas 14. b. 1. Sicut enim potest se pluribus obligare, ita potest etiam, ex vi juramenti, pluribus esse obligatus, & consequenter etiam successoribus.

## §. II.

*Quo, & quomodo possit relaxari  
juramentum promissorium homini  
præstitum?*

Juramenta homini præstita, si ex parte recipientis juramentum promissorium non sit turpido, nec damnum enorme, aut vis injuste illata juranti restitutionem faciendam imperet, à nemine nisi solo Pontifice, invito eo, cui iuratum est, relaxari possunt. Quia cum per tale iuramentum ius illi, cui iuramentum præstitum est, acquisitum fuerit, consequenter sine iniuria illius auferri hoc illi non potest, nisi à suprema in spiritualibus potestate in causa gravissima, & ob bonum commune, vel ab Ordinatione etiam nonnunquam, si periculum in mora sit, & causa gravissima urgeat. Si tamen ex parte recipientis iuramentum sit turpido, eod quod per vim, dolum, aut metum iniuste incussum extortum illud fuerit, vel sine gravissimo damno & enormi læsione iurantis servari non possit, potest Episcopus vel alii, qui relaxandi iuramenta talia privilegia habent, illud relaxare (quorum nonnunquam etiam

est, in casu dubio declarare, num iuramentum tale obliget) vel petere potest hic, qui iuravit taliter, ut ille ad remittendum iuramentum cogatur, qui tunc piter tale iuramentum extorsit. Si vero penes Episcopum sit, relaxandi iuramenti potestas, & hæc relaxatio tantum petatur pro foro conscientie, tum Episcopus iurantis, iuramentum illud relaxare debet, cuius est vincula conscientie suorum subditorum solvere: sin autem relaxatio talis petatur, ad tollendam omnino etiam in foro externo obligationem, & ad effectum rescindendi omnino contractus v. g. per dolum, vel metum iniustum initi, tum debet ordinariè talis relaxatio fieri ab Episcopo illius, cui iuratum est, quia in tali casu forum Rei, cui iuramentum præstitum est, & qui metum v. g. iniuste incussit, debet sequi Actor, qui petit iuramenti iniquè extorti relaxationem, nisi ille, cui iuratum est, speciali se Episcopo iurantis sponte subiiciat, & sic eius in se iurisdictionem proroget, aut ratione contractus extra Diocesim initi, aliud luberetur. Seculari tamen Magistratui non facile concedendum, quod directe, & immediatè relaxare iuramenta talia possit, cum iuramentum sit vinculum spirituale, quamvis ob bonum publicum inter Laicos sibi subiectos indiretè hoc nonnunquam possit, remittendo v. g. iuramenti obligationem in vicem illius, cui iuratum est, & hoc remittere debeat.

T I T U L U S · XXV.  
DE EXCEPTIONIBVS.

## §. I.

*Quid sit exceptio, & quomodo dividatur? & de opposita ei replicatione.*

**E**Xceptio strictè dicta accipitur pro defensione Reo competente, per quam excluditur actio, quæ de iure Actoris competat. Variè hæc dividuntur, ita ut aliæ dicantur exceptiones dilatoriz, & temporales, quæ suspendunt tantum, & differunt ad certum tempus actionem & intentionem Actoris; Aliæ sint peremptoriz, & perpetuæ, quæ tollunt omnino ius agentis, & perimunt actionem. Dilatoriz exceptiones iterum subdividuntur in fori declinatorias ob incompetentiam v.g. Iudicis, aut quoddam suspectus sit, aut quoddam officio Iudicis fungi non possit, &c. quæ ab initio litis statim proponi debent, ne videantur consentire in Iudicem. Aliæ sunt, quæ respiciunt personam litigantis, & opponuntur ad eum ab agendo repellendum; vel ad repellendum procuratorem: aliæ sunt, quæ respiciunt causam, uti est exceptio libelli inepti, litis pendenti.

Secundò dividuntur exceptiones, quoddam aliæ sint personales, quæ personam sequuntur, eamque egrediuntur, & ad hæredes non transeunt, & plerumque Rei talis conventi exceptionem competentiz habent. Reales aliæ quæ

rei coherent, eamque sequuntur, & consequenter ad hæredes transeunt, & est exceptio rei iudicatæ &c. Aliæ sunt mixtæ quasi, certo quidem personam generi competentes, ratione tamen materiz, uti est exceptio Senatus Consulti Velleiani, quibus succumbunt mulieribus, si per suam fidei iussione lædantur: exceptio operarum communi Patronos libertis concessa, ad eas operas obligantes, quæ concessæ libertatis causa sunt impositæ: Exceptio Senatus Consulti Macedoniani, quæ filiofamilias sine consensu Parentis mutuum accipienti competit, & exceptio de qua restitutionis in integrum.

Tertiò dividuntur exceptiones, quæ sint Civiles à iure Civili introductæ, verò sint Prætoriz, à Prætoris introductæ, ex æquitate quadam naturali de quibus Civilistæ. Exceptioni opponitur replicatio, per quam Actor excipit exceptionem Rei, & est quasi exceptionis exceptio; huic autem replicationi obiici potest à Reo duplicatio, à Actore triplicatio & à Reo quadruplicatio, & sic deinceps, ita tamen ut à Iudice ne nimium extendatur iudicium litigationibus, ex officio possit modum præfigi.

§(o)§

## §. II.

*An, & qualiter licitum sit, excommunicato excipere in iudicio, vel appellare, vel aliâ defensione uti?*

Non tantum excipere potest in iudicio excommunicatus, sed omni aliâ defensione etiam appellationis uti potest. Prout colligitur ex c. *Cum inter 5. h. t.* Quamvis enim agere ipsi in iudicio, aut reconvenire Actorem, non permittatur, voluntariè provocando ad Judicem, quæ tamen necessaria illi sunt ad defensionem media (prout plura refert hoc §. *Auct. Meth.*) (Ius naturæ non permittit illi auferri; quin ipsam appellationem etiam prosequi potest, etiam si ut sic sit actor principalis. Prout summitur ex c. *Significaverunt 11. h. t.* Quia utitur defensionis jure. Plura de his, quæ vix ad hunc Titulum pertinent, circa appellationem excommunicati, aut rescripti ab excommunicato impetrati valorem, vide hoc §. apud *Auct. Meth.*

## §. III.

*Quando, & quomodo Exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat, & quando exceptiones contra testes proponenda sint?*

Exceptio excommunicationis quamvis inter dilatorias numeretur, antelitis contestationem ordinariè opponendas, potest tamen ea in qualibet parte iudicii, etiam post conclusionem in causa, usque ad sententiam definitivam, si ea scienter etiam ab initio omissa fuit, opponi. Nequis cum animæ suæ periculo excommunicato communicare cogatur,

& ut magis censura Ecclesiastica timeatur. Quamvis enim ad legitimas expensas excommunicato faciendas condemnari possit, qui sciens exceptionem hanc omisit, & frustra laboribus & sumptibus fatigavit actorem excommunicatum. Prout statutum habetur in c. *Exceptionem 12. h. t. & in c. Pia 1. eodem in 6.* Quod si tamen aliquis exceptionem excommunicationis alicui obijciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem illius (utrum sit major vel minor excommunicatio) & nomen excommunicatoris proprium, & appellativum (vel saltem nomen dignitatis) exprimere (ut sciatur delegatus, an ordinarius Iudex hic sit) & intra octo proximos dies, ab objecta excommunicatione, hanc probare aperitissimis documentis, (per testes scilicet vel instrumenta) prout statuitur in c. *Si quis. h. t. in 6.* admittendus iterum intra tale tempus, si primâ vice in probatione defecerit, non tamen tertio volens excipere, quia præsumitur, postquam bis jam defecit in probatione, malitiosè, & tantum ad subterfugiendam sententiam hoc agere, nisi nova excommunicatio post duas primas probationes interveniat.

Contra personas testium exceptiones obijci, & probari debent, ante latam sententiam (antequam in causa conclusum sit) definitivam c. *Denique 1. h. t.* In ordinariè fieri debent hæ exceptiones ante publicatas attestaciones, nisi non tam contra personam testis, quam contra dictum illius opponatur, aut sententia non transeat in rem iudicatam, quia in his casibus semper locus est opponendi, ad impediendam saltem excommunicatio.

tionem juxta L. Purè 5. ff. De dol. & met. except.

## §. IV.

An, & qualiter Iudex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoriae vel etiam peremptoriae proponi debeant?

**P**otest Iudex partibus litigantibus terminum statuere, intra quem omnes suas dilatorias exceptiones proponere debent, ita ut si post terminum talem finitum opponere aliquas velint, non audiantur; nisi prius protestatae fuissent partes (non tantum generali clausula: *salvis aliis exceptionibus*: sed in specie, & quidem in scripto exprimendo eas, quas velint postea probare) aut exceptio aliqua de novo emerget parti competens, vel nisi is qui opponere vult, juramento asserat, se post lapsum terminum ad notitiam illius primum pervenisse. Prout statuitur in *c. Pastoralis 4. h. 1.* (ad decidendas scilicet, & abbreviandas lites, sine singulari tamen partium praejudicio) aut si intra terminum assignatum probare exceptionem talem non poterit, possit tamen postea (paria enim sunt non competere exceptionem, & eam probari non posse;) aut exceptio sit de incompetencia Judicis, in quem pars consentire non possit (quia est exceptio nullitatis, quae semper opponi potest) aut sit exceptio litis finitae, ad peremptoriè infringenda merita causa; vel sint exceptiones contrariae à reo propositae, quae cum simul probari non possunt, potest reus ab una probanda transire ad aliam, vel denique sit exceptio excommunicationis, juxta

*Clement. Excommunicationis*, nisi h. 1. Etiam si specificè ad proponendam etiam exceptionem excommunicationis intra tempus praefixum Iudex statuerit (quod beneficium à jure concessum, non potest auferre Iudex) & si quis etiam juraverit se non oppositurum hanc excommunicationis exceptionem; cum talis exceptio non tam in favorem partis, quam oblitum publicum concedatur, & ob periculum animae.

De peremptoriis tamen exceptionibus utrum à Judice certus etiam terminus praefigi possit, quo elapso, non amplius audiantur, dubitant AA. non nisi quòd possit, quàm quomodo possit. Quae in re distinguendum videtur, ita ut si Iudex terminum talibus peremptoriis exceptionibus praefixerit, vel cum causae cognitione, vel sine ea: si prius contigit, non potest reus, post elapsum terminum, peremptorias tales exceptiones proponere. *argu. L. 2. ff. de re Judicat.* Si postea contigit, potest reus etiam post terminum à Judice positum elapsum peremptorias exceptiones opponere, cum non possit sine justa causa, & consequenter non sine causae cognitione hoc jure proponendi exceptiones peremptorias privari.

## §. V.

An, & qualiter alia nonnullae exceptiones opponi possint, vel non possint?

**P**lura habens beneficia, si exceptio contra alium de pluritate beneficiorum, non est admittendus, juxta *c. Canon Ecclesiastica 3. h. 1.* Quia non debet quis in alijs reprobare, quod in seipso appro-

bit; & hinc probabile est loqui hoc Capitulum de beneficiis compatilibus.

In favorem & defensionem suæ Ecclesiæ potest quis opponere exceptionem excommunicationis, perjurii, vel aliam legitimam exceptionem, absque eo, ut vicissim ipsi per modum replicationis similis exceptio opponi possit *c. Dilecti 8. h. 1.* Sicuti enim exceptio, quæ non repellit intentionem actoris, pro nulla habetur, ita etiam replicatio pro nulla habenda est, quæ non excludit exceptionem, prout fit in casu nostræ assertionis, in bonum Ecclesiæ, ne indignus ad eam promoveatur.

Exceptio rei judicatæ non competit Reo absoluto per sententiam Iudicis, eò quòd rem non amplius possideat; etiam si postea iterum possidere incipiat. *c. Adversario 13. h. 1.* Neque enim ad rei illius restitutionem tum condemnari, aut absolvi ab ea potuit, quando rem talem non amplius possidebat, nisi dolo malo possidere desierit (quo in casu saltem ad restitutionem rei condemnari potuit) aut pretium pro re possessa vendita accipit, quod in locum rei venditæ succedit.

Exceptio rei judicatæ per Iudicem Ecclesiasticum potest opponi, etiam coram Iudice seculari in causa mixti fori, & ex converso, *c. Cum quidam 2. h. 1. in 6.* Quia sententia lata per legitimum Iudicem jus tribuit parti contra quemvis Iudicem alium, nisi ageretur in causa appellationis, aut esset sententia à seculari Iudice lata cum periculo animæ.

In casu, quo quis declinatoriam v. g. exceptionem contra Iudicem opponit, quæ tamen non admittitur, potest qui-

dem ad superiorem Iudicem appellare, & hujus erit, de exceptione hac judicare, non tamen de causa principali. *c. Olim 7. h. 1.* Debet enim Iudex appellationis de eo tantum cognoscere, super quo fuit appellatum.

In casu, quo per exceptionem suspensionis ab officio, & beneficio, contra quam replicatur de nullitate illius, retardetur ordinatio, seu provisio Ecclesiæ, debet absolutio à Superiore fieri saltem ad cautelam; prout sumitur ex *c. Apostolica 9. h. 1.* cum non debeat obesse Ecclesiæ mora in rebus spiritualibus, stante tali dubio.

## §. VI.

*An excipiens confiteri videatur de iure adversarii: Et an quis in iudicio pluribus, utique contrariis exceptionibus uti possit?*

**C**ommunis Regule juris est *63. in 6.* Quòd is, qui exceptionem objicit, non videatur de intentione adversarii confiteri; ad primam ergo quæstionem responsio negativa est, quæ etiam habetur in *c. Cum venerabilis 6. h. 1.* De quo enim pars excipiens in iudicio post litem contestatam omnino contendere vult, hoc utique non censetur confiteri; si tamen ipse reus fateatur v. g. debitum, exceptionem tamen annectat, de solutione facta, hac & in similibus exceptionibus, nisi probaverit reus, habebitur pro confesso, & condemnabitur.

Ad secundam quæstionem respondeo, quòd possit reus in iudicio non unam tantum, sed pluribus etiam uti exceptionibus, vel simul eas proponendo, vel successivè etiam contrariis (saltem disjunctivè

jun&ivè, & sub conditione, ne utrumque verum esse, asserere videatur) ita ut si in probatione una deficiat, ad alteram transire possit, nisi ita directè sibi invi-

cem adversarentur exceptiones tales, ut quod ponitur in una, nec conditionaliter poni possit in altera, quin convincatur eas ponens de mendacio.

## TITVLVS XXVI. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

### SECTIO I.

*De præscriptione in genere,  
& personis præscribentibus,  
ac rebus, quæ præscribi  
possunt.*

#### §. I.

*Quid sit præscriptio, & an, ac  
quomodo ab usucapione distinguatur,  
& ob quas causas sit à jure  
introducenda?*

**P**Ræscriptio rectè definitur, esse excep-  
tio (peremptoria scilicet) ex tempore,  
& modo legibus definito substantiam ca-  
piens. Usucapio verò apud Iurisconsultum  
L. 3. ff. De usurpat. & usucap. dicitur  
esse adjectio (sive acquisitio domini-  
i, ut Glossa loquitur) per continuationem  
possessiois (habite cum bona fide, ac ju-  
sto titulo, ut iterum Glossa dicit) &  
temporis lege definiti; ita ut præscriptio  
ab usucapione juxta has definitiones dif-  
ferat, tanquam effectus à sua causa; quæ  
enim per usucapionem, tanquam viam  
ad præscriptionem nobis adjiciuntur, pro  
illis tanquam Domini excipere contra ad-  
versarios titulo præscriptionis possumus;

& quamvis aliqui velint, præscriptionem  
ab usucapione distingui in eo, quòd hæc  
sit mobilium, illa immobilium, dicitur  
tamen hæc distinctio nullum in jure fun-  
damentum habere, cum ad res etiam  
immobiles Insti. De usucap. & præ-  
scrips. usucapio referatur, res tamen  
momenti non est, ut pro ea multum  
tigaretur, cum hodie pro synonymis ac-  
cipiantur usucapio, & præscriptio.

Introducenda autem est à jure Civili  
præscriptio, seu usucapio, & à jure Can-  
nico propter bonum publicam commu-  
ne approbata fuit, ne diu & sæpe  
quarundam rerum dominia incerta  
essent, & ut litibus sæpe diu duran-  
tibus finis imponatur, ac hominum ad  
sua, & res suas in judicio defendenda  
ignavia excitaretur, ob periculum  
tendæ per præscriptionem rei suæ, si  
repe tam in judicio negligenter, Et  
non tantum in foro externo, sed  
etiam interno, & conscientie vim  
habet præscriptio, ita, ut qui præscriptio  
postmodum non teneatur, ad rem illam  
restituendam, si resciret, alienam  
fuisse, cum per usucapionem legitimam  
rei illius Dominus factus sit, utroque  
jure approbante, quamvis nulla culpa  
illis negligentia prioris Domini in  
re

nisset (nisi per Iudicem in integrum hic restitueretur) ut docent communiter omnes, juxta varios Iuris, & Glossæ textus, & si per errorem pristino Domino restituat, tanquam indebitè datum repetere posse, & ut suam vindicare.

## §. II.

*Quinam in genere possunt præscribere, vel non: & adversus quos possit præscribi, vel non?*

Cum usucapio sive præscriptio sit modus acquirendi dominij, consequenter possunt omnes præscribere, seu usucapere, qui sunt capaces acquirendi dominij, ita ut etiam furiosus, aut amens, vel alio ex capite usu rationis destitutus inchoare quidem taliter constitutus usucapionem non possit, possit tamen continuare eam, si cæpta sit, dum esset sanæ mentis; cum taliter constitutus non desinat possidere, quod sanæ mentis possidere cæperat. Precario tamen rem possidens, usufructuarius, creditor rem pignori sibi datam, & universim, qui non possident suo nomine, usucapere, vel præscribere non possunt, uti nec Clerici bona suorum beneficiorum, cum vel legitima eis possessio desit, vel incapaces sint dominij sibi acquirendi, vel quæ bona habent, canonicâ institutione obtinere debent, sicuti autem non omnes præscribere qualibet possunt, ita contra personas aliquas certas præscribi non potest, quæ scilicet in iudicio stare, agere, iura sua tueri, vel bona administrare non possunt, uti sunt pupilli, filii familias, in certis quibusdam bonis, capitivi, Ecclesiæ vacantes &c.

*Pirhing. Compend.*

## §. III.

*Quæ res præscribi possunt, vel non possunt?*

Regulatiter omnes quidem res corporales, sive mobiles eæ sint, sive immobilis; præscribi, seu usucapi possunt, nisi legè aliquâ aut speciali ratione prohibeantur: res verò incorporales, uti sunt jura, servitutes, actiones &c. sicuti propriè possideri non possunt; sed tantum quasi possideri dicuntur, ita propriè nec præscribi: Sunt tamen aliqua quæ præscribi omnino non possunt, sic primò res quæ in hominum commercio non versantur, & in nullius dominio sunt, uti sunt res sacræ, liber homo, ut fiat servus, res publicæ, quæ ad publicum usum sunt deputatæ, viæ publicæ, ac plateæ publicæ nullo unquam tempore præscribi possunt, etiamsi populus illis uti desinat, quia hæc, quæ sunt omnibus communia, à nemine privato possideri propriè possunt. Secundò res furtivæ, vel vi expulsi vâ possessæ, seu occupatæ præscribi nequeunt, etiam à bonæ fidei possessore tempore ordinario (quamvis tempore extraordinario à bonæ fidei possessore præscribi possint) & nisi prius vitium rei furtivæ, vel violenter occupatæ, purgatum fuerit, per hoc, quòd ad legitimum Dominum suum redièit, vel nisi à bonæ fidei possessore res talis distraeta ad tertium pervenerit, quo in casu res quidem aliena non tamen furtiva distrahitur, cum hic non animo furandi, aut legitimo Domino rem suam subtrahendi, quod ad rem furtivam requiritur, distraxerit rem talem. Fructus tamen ex re tali furtiva percepti, ordinario etiam tempore

Z z

præscri-

prescribi possunt, si bonâ fide possessi sunt, neque enim pars rei furtivæ, ut ait lex, est pars rei furtivæ. Tertiò res quæ sunt meræ facultatis seu liberæ & gratuitæ voluntatis prescribi non possunt, quia ex talibus actibus, qui libertati non ponuntur, nulla potest induci obligatio, cum nullam contineant, nisi prohibitioni v. g. interpositæ acquieverit cum patientia, qui actus tales meræ facultatis exercuit. Quartò limites seu fines Provinciarum, Episcopatum, ac Parochiarum &c. & quæ hujusmodi limitibus coherent, prescribi non possunt, dummodò constet, tales fines fuisse legitimâ auctoritate positos. *c. Super eo 4. De Parochijs*: Ne confundantur scilicet termini ad confusionem devitandam positi, & quamvis fines agrorum ad Ecclesias v. g. spectantium prescribi possint, quoad proprietatem & dominium, non tamen prescribi possunt, quatenus sunt fines constituti certorum districtuum.

## §. IV.

*Utrum subditi per prescriptionem se eximere possint ab obedientia Principis, vel alterius Prælati inferioris, aut legitimi Superioris?*

**C**ontra ea, quæ Principi debentur in recognitionem supremi Principatus, & universalis domini, ac subjectionis ei debita, non potest à subditis, quâ valibus prescribi. *L. Comperet. 6. Cod. De prescript. 30. vel 40. anno.* Potest tamen à subditis prescribi ea exemptio à tributis & censibus, quæ, non in recognitionem supremæ Majestatis, sed in subsidium, ob necessitatem aliquam publicam

solvuntur, cum subditus manens subditus illa solvat in signum subjectionis, non autem hæc, & quamvis mediante prescriptione ex subdito fieri possit non subditus, & exemptionem à talis Principis subjectione prescribere, prout recepta Praxis docet, manens tamen subditus ad ea obligatur, quæ ad superioritatem recognoscendam conveniunt. Imo nec contra obedientiam inferiorum Prælatorum Episcopi v. g. vel legitimi alterius Superioris prescribere possunt subditi. *c. Non liceat. 12. h. 1.* Neque enim in possessione suæ immunitatis est subditus, quando diu manet subditus, cum tamen talis possessio ad prescribendum requiratur, nisi translativè tantum prescribant, ita ut alteri v. g. Episcopo subiecti sine, non autem simpliciter, sive exclusivè, non tamen neque Romano Pontifici subiecti, quod esset contra jus Divinum.

## §. V.

*An contra Prælatum possit prescribi visitatio, & procuratio ratione illius debita?*

**N**eque contra visitationem Prælati, quæ de jure communi obligat prescribere possunt subiecti Clerici, quæ contra procuratorem ratione visitationis illi debita, uti decernitur. *Cum officij 16. h. 1.* (Quamvis Prælatum eam remittere possit, & quoad modum solvendi mutare, saltem non in vitis illius qui solvere tenentur) non tantumquam prescriptio talis perniciose esset Ecclesiæ, sed indecens etiam sit, & tam juri Divino, quàm naturali contrarium videtur, ut non habeat jus petendæ procuratoris, qui obligationem habet visitationis



## §. VII.

*An res alienari prohibita præscribi possint.*

**R**espon. non posse præscribi, si simpliciter alienari prohibeantur, posse tamen præscribi, si absolute quidem alienari possunt, servatis tamen certis solemnitatibus: prius fieri non potest, eo ipso, quod per prescriptionem res alienentur, ergo si simpliciter prohibeatur res talis alienari, præscribi non potest, nisi fortasse ante prohibitionem alienationis earum, cæpta jam fuisset usucapio, aut tempore immemoriali præscripta res talis fuisset, quod præsumptionem facit facultatis à Principe datæ ad alienandum; posterius fieri potest, eod quod simpliciter res tales alienari possint, & in præsumptione non minùs certæ conditiones requirantur, quàm in rerum talium alienatione.

## SECTION II.

*De conditionibus ad prescriptionem requisitis, & in specie de prima & secunda conditione.*

**Q**uatuor conditiones ad legitimam prescriptionem requiritur, certum est. Prima est possessio, eaque continua & non interrupta. Secunda est Bona fides præscribentis. Tertia est iustus Titulus. Quarta est tempus à Legè definitum.

Quin etiam ex c. Accedentes 11. h. t. habemus, quod neque contra Procuraciones, quæ debentur Legatis & Nuntiis Apostolicis, ullo unquam tempore præscribi possit, quod minùs illis solvatur, propter honorem scilicet Sedis Apostolicæ, in signum obedientiæ erga illam, & ob publicum bonum, quod Legati tales promoveant; & quamvis præscriptio & privilegium æquiparentur, per privilegium autem possit obtineri à solvendis talibus procuracionibus immunitas, consequenter etiam per præscriptionem obtineri posse eam videatur; negatur tamen hæc æquiparatio in omnibus locum habere, ob multa, quæ præscriptioni propria sunt, non autem privilegio, & in illis in quibus expressè prohibetur præscriptio; æquiparatio hæc locum habere non potest.

## §. VI.

*An Prælati inferiori Episcopo possit præscribere jura Episcopalia?*

**R**espon. posse inferiorem Episcopo Prælatum omnia jura Episcopalia in certis Ecclesiis Diocesis & Capellis præscribere, tam privative, quàm cumulative. Uti habetur ex c. Auditis 15. h. t. (cùm sit capax, omnia illa jura possidendi, & consequenter etiam præscribendi) nisi ea requirant Ordinem Episcopalem, & ita ut non plùs acquirat, quàm præscripsit. c. Cùm olim 18. h. t. Ac Episcopus v. g. jurisdictionem generalem saltem in habitu retineat, cùm absolute sit suæ Diocesis Episcopus capax.

## §. I.

*An, & qualis possessio requiratur ad præscriptionem?*

Quod ad omnem præscriptionem necessarium requiratur possessio, aut si incorporalia præscribantur, quasi possessio, constat ex *regula juris 3. in 6. & ex L. 2 §. ff. de Vsup.* Et quidem quod non sufficiat sola naturalis, sufficiat tamen civilis, sive sola sit in præscribente, sive conjuncta sit cum naturali, ex variis Juribus habetur; & ex eâ ratione, quod ad præscriptionem ea requiratur, & sufficiat possessio, vi cujus transferri potest dominium, aut quasi dominium, sed sola naturalis possessio non est sufficiens, ad transferendum dominium, aliâs etiam depositarius rem depositam præscribere posset, & possent duo simul eandem rem præscribere, casu quo unus eam naturaliter tantum, alter civiliter tantum eam possideret, quod est absurdum concedere, ergo sola naturalis non sufficit; sufficit autem sola civilis, per quam dominia transferri possunt.

## §. II.

*An Laici non possint præscribere decimas ob defectum possessionis?*

Respondetur affirmative, prout expressè deciditur in *c. Causam 7. h. t.* (cum sint juris hujus possidendi incapaces) ita ut jus percipiendi decimas, neque tempore immemoriali præscribere possint, quamvis optimâ fide illud haberint, & fama communis, erronea tamen fuerit, quod legitima concessio facta ab Ecclesiastica persona intervenerit; cum error hic nec titulum verum, nec veram juridicam possessionem illis tri-

buerit, immemoriali tempore tum in omni tituli præsumptionem inducente, & capacitas possidendi in præscribente eadem. Quod si tamen cum temporis immemoriali possessione, fama communis concurreret, de legitime à Prælati Ecclesie ante Lateranense, vel à Pontifice obsequio jure decimandi, esset quidem hic titulus Laicus tam in foro interno, quam externi securus à decimarum, aut juris decimarum restitutione, quia ipsa hæc antiquitas legitime concessionis olim factæ præscriptionem inducit, si tamen postea constaret per instrumentum v.g. antiquum modò repertum, jus decimarum per illegitimam & invalidam alienationem à majores illius pervenisse, obliquere hinc talis, non obstante ullâ antiquitate possessione præsumptâ ad restitutionem.

Intelligi tamen hoc debet de jure decimandi spirituali, sive quod fundatur in spiritualibus administrationibus & institutionibus: quod si enim decimæ per illegitimam auctoritatem à titulo seu spirituali separatæ sunt, possunt uti possideri, & præscribi à Laicis, cum ut sint Laicales: à nemine tamen habet hæc decimarum à jure spirituali separatæ fieri potest, nisi à solo summo Pontifice, penes quem etiam hujus materiam plenissima potestas est; cujus etiam est per privilegium Laicis jus hoc decimarum concedere. Plura tamen de hoc infra in *Tit. de Decimis.*

## §. III.

*An ad omnem præscriptionem & omni tempore necessaria sit bona fides ad præscribendum?*

Quidquid sit de jure Civili Cælestes

de jure Canonico ad omnem præscriptionem (etiam immemorialis temporis, & quæ sciente Domino fit) uti & omni tempore bona fides requiritur, ita ut non sufficiat, bonâ fide inchoatam fuisse tantum præscriptionem, sed bonâ fide etiam continuari debeat, donec tempus à Lege præscriptum completum fuerit, uti constat ex pluribus juris textibus; omni enim constitutioni meritò derogat jus Canonicum, quæ sine peccato servari non potest, prout servari non potest Lex, quæ cum mala fide scientia scilicet rei alienæ præscriptionem perimit; & quamvis in dubio præsumendum sit, bonâ fide possedisse aliquem, nisi contrarium probetur, cum delictum non facile præsumi debeat, si tamen contra jus commune possessionem acquisiverit aliquis, & in tali casu possessionis suæ titulum allegare non possit, contra ipsum præsumitur. Ex quo fundamento optimè inferitur, quòd primi illi, qui contra Legem, sive Canonica illa sive Civilis ritè promulgatam, & receptam egerunt, præscriptionem inchoare non poterint, cum malam fidem habuerint; Successores, tamen qui meritò credere potuerunt, Antecessores suos, in non observanda tali lege nihil deliquisse, contra talem Legem præscribere possunt, cum bonam fidem habeant. Sunt quidem aliqui, qui putant debita personalia, vel contra actiones personales ad talia debita, & contra servitutes etiam hodie cum mala fide præscribi posse, cum talis sui debiti cognitionem & scientiam habeat, quamvis Creditor illius solutionem non urgeat; Retius tamen alii opinantur, ob universalem

S.S. Canonum doctrinam, cum mala fide præscribi posse negantium, etiam in his debitis ac servitutibus rusticis præscribendis bonam fidem ex parte præscribendis requiri; vel quòd credat, se nihil debere, nisi ab adversario suo moneatur, & urgeatur executio latæ fortassis contra ipsum sententiæ, aut servitus exigatur, vel alia invincibilis ignorantia interveniat, &c, potest tamen pro foro externo fieri statutum aliquod, ad lites multas cavendas, & negligentiam Dominorum excitandam, ut si intra certum tempus solutionem non uferit Creditor, nullum amplius ad illud debitum elapso tali termino jus habeat pro hoc foro. Eadem tamen etiam doctrina est, circa præscribendam pœnam pro delicto impositam, contra quam præscribere potest, qui debet hanc pœnam, etiam si sciat, eam se debere, modò practicè etiam judicet, ad eam solvendam se non obligari, nisi exigatur, quo in casu bonam fidem practicam habet. In servitutibus verò Urbanis præscribendis requiritur insuper, ut ille qui præscribit, actum aliquem positivum contra jus altetius bonâ fide exerceat, putans scilicet hoc sibi licere.

## §. IV.

*An dubitans, num res sua sit, an aliena, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum?*

Qui incipit cum tali dubio rem possidere, inchoare non potest præscriptionem, quia caret bonâ fide; si verò post ceptam bonâ fide præscriptionem dubium hoc primùm superveniat, potest talis non obstante hoc dubio continuare, & perficere præscriptionem, modò,

Zz 3

dò,

dò debitam diligentiam adhibuerit, ad dubium hoc resolvendum, prout videtur probari posse *exc. ult. h. t.* Cùm in tali casu iuxta communem juris regulam resolvere se optimâ fide possit, cui dubium tale ceptâ jam præscriptione supervenit, quòd melior sit conditio possidentis; & retinere rem talem possit; quidquid sit de eo, num sua sit, an non, ita ut speculativum quidem dubium habeat, num res hæc sua sit, vel non, suspendat tamen hoc iudicium suum, & practicè certus sit, quòd retinere eam possit.

## §. V.

*An, & qualis ignorantia sive facti: sive juris impediatur bonam fidem, & consequenter etiam ipsam præscriptionem, vel non?*

Affertatam & crassam ignorantiam non excusare à peccato, communissima docet, & consequenter non minùs bonam fidem tollit ignorantia illa, quàm præscriptionem impedit. Si tamen invincibilis ignorantia sit facti, vel juris non liquidè, sicuti bonam fidem non impedit, ita nec præscriptionem, quæ enim à iure reprobata non est ignorantia, consistere potest cum bona fide, non tantùm in foro conscientie, sed etiam in foro externo, & consequenter cum tali ignorantia præscribi potest; prout etiam ex pluribus utriusq; juris textibus patet. Quòd si verò juris clari, manifesti, & indubitati ignorantia habeatur, quamvis invincibilis hæc sit, nolunt tamen jura ad præscribendum illi favere, aut ad bonam fidem (Civilem scilicet, non Theologicam) sufficere, prout iterum pluribus iuris Textibus ostenditur, & con-

sequenter cum tali ignorantia præscribi non potest, cùm enim à iure positivo dependeat sola præscriptionis natura, nolint autem iura ad præscribendum his favore, qui iuris indubitati ignorantiam habent, consequenter præscribere hi tales cum tali ignorantia non possunt, nisi fortasse tales personæ essent, in quibus toleratur ignorantia, ut etiam clari, uti sunt milites, minores, mulieres, rustici, &c. de hac tamen questione consulendi Civilistæ, qui plerumque etiam ostendunt, quamvis ignorantia iuris clari non profit ad acquirendum prædest tamen, cùm agitur de damno vitando.

## §. VI.

*An, & quomodo bona: vel malæ fidei antecessoris seu auctoris proficiat, vel non sit successor in ordine ad præscriptionem?*

Qui succedit bonæ fidei possessori, & si aliqua, potest ad præscribendum etiam numerare tempus sui antecessoris, & sicuti accessione illius temporis ad complendam præscriptionem, si & ipse hic successor bonam fidem habeat, cum enim antecessor transferendo hanc rem in alium, omne etiam ius, quod circa hanc rem habebat, in eum transfudit, habuerit autem ius, eam sibi præscribendi intra tempus à iure requisitum, cuius partem iam explevit, consequenter etiam hoc ius, ut reliquo tempore addito, rem talem præscribat, in eum transfudit. Qui verò malæ fidei antecessor succedit, si singularis tantùm successor sit, ex donatione v. g. venditione, legato, &c. huic equidem antecessor

tempus, quo malâ fide rem possidebat, nihil prodest ad præscribendum, neque tamen mala antecessoris fides etiam impedit illum, quò minus præscriptionem inchoare possit, si bonam ipse fidem habet, & res præscribenda nullo vitio reali affecta sit, quò minus præscribi possit; impedit autem illum ad inchoandam etiam præscriptionem, quamvis malam fidem ille non habeat, si successor sit universalis, sive hæres antecessoris malæ fidei; vitium enim defuncti nocere eius successori universali, cum sit (iuris fictione) una cum defuncto persona, & eadem (iuris fictione) hæredis talis, & antecessoris illius possessio, &c. passim asseritur; nisi hæres talis præter titulum hæreditatis, alio speciali titulo rem talem possideret, aut non esset hæres immediatus, sed mediatus tantum, &c. hoc enim in utroque casu non obesset mala fides antecessoris, cum in ordine ad talem rem, vel non sit una eademque persona (iuris fictione) successor cum antecessore, vel daretur duplex fictio iuris, quæ tamen à iure reprobat.

## §. VII.

*An mala fides respectu unius impediatur præscriptionem respectu alterius?*

**N**on impedit mala fides respectu unius rei aut iuris, præscriptionem respectu alterius rei, vel iuris distincti, cum bona fides præscriptioni necessaria, circa ea tantum necessaria sit, quæ præscribuntur: qui tamen absolute circa rem, quæ præscribere vult, malam fidem habet, sciens eam esse alienam, etiam si erret circa personam putans eam Titii esse, cum tamen sit Caii, præscribere non potest,

parum enim interest ad malam fidem, utrum huius vel illius sit, modò sciatur res esse aliena.

## §. VIII.

*An, & qualiter mala, vel bona fides Prælati possit obesse, vel prodesse Ecclesie quoad præscriptionem?*

**S**I Prælati noverit, rem, quæ ab Ecclesia detinetur, notoriè esse alienam, præscribere eam non potest, sed restituere tenetur, & in tali casu non censetur, rem Ecclesie alienare, quod sine solemnitatibus ipsi prohibitum, sed alienam rem suo Domino restituere, quod boni administratoris est: Si verò notorium non sit, rem alienam esse, neque à Prælato hoc probari possit, retinere eam poterit, & præscribere, cum nullam justam causam habeat, Ecclesia eam alienandi; & quamvis si scientiam rei alienæ habeat Prælati, Capitulum verò circa eam, quæ communiter à Prælato & Capitulo possidetur, bonam fidem habeat, probabilis præscriptioni locus non sit. cum propter malam fidem Prælati, destruat bona fides Capituli, circa rem, quæ communiter possidetur; in rebus tamen ad Capitulum solum spectantibus nihil obest mala fides Prælati, modò Capitulum sit in bona fide, & Prælati in iudicio facta confessio dicat, quòd res talis aliena sit in rebus divisis, præjudicat quidem Prælato, quoad suam partem (saltem quoad vivit) nihil tamen præjudicat Capitulo, quò minus præscribere possit, nisi mandatum à Capitulo ille habeat, pro re tali in iudicio agendi, aut præsumptio iuris sit contra Capitulum, quòd

quod scilicet res talis aliena sit. *arg. c. Si diligenti 17. h. r.*

### SECTIO III.

*De tertia, & quarta conditione, videlicet de Titulo, & tempore ad præscribendum necessario.*

#### §. I.

*Au, & qualis Titulus requiratur ad sufficientem, & probam præscriptionem, & quando nullus requiratur?*

**O**Rdinariè requiri ad præscribendum præter bonam fidem justum titulum, in confesso est apud omnes, eò quod titulus sit causa, & fundamentum justæ possessionis, & bonam fidem habere vix possit aliquis ab initio saltem, nisi habilem habeat, & sufficientem titulum ad possidendum. Neque tamen Titulus hic ad præscriptionem requisitus verus debet esse, vera v. g. donatio, vera venditio, vera solutio, &c. (talis enim titulus verus sine præscriptione transfert dominium) sed sufficit coloratus, sive apparens, qui bonâ fide putatur validus, quamvis à parte rei non sit, qualis titulus est donatio v. g. venditio, &c. insufficientis quidem secundùm se, ob latentem defectum, ad transferendum dominium in donatarium, emptorem, &c. sufficiens tamen cum usucapione, vel exstimatus, ut si v. g. hæres alicui rem tradat, quasi debitam ex Legato, cum revera legata non sit, vel præsumptus tantùm, si scilicet ob temporis diuturnitatem intervenisse titulum jus præsumit, cum tamen for-

tasse nullus intervenerit. Et quidem præscriptione ordinaria longi temporis decem scilicet, aut duodecim annorum sicut & in triennali usucapione titulus non præsumitur, sed requiritur, ut allegetur, & probetur titulus coloratus, & exstimatus, ut constat ex *L. Nullus in Cod. De rei vindicat. & ex Can. Paganus 15. §. Potest etiam aliter. Causa 16. p. 1.* In præscriptione autem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum, colorariè non requiritur titulus, qui allegatur, & probetur, sed sufficit bona fides, quâ credit præscribens titulum se habere, & causam possidendi, tamen si titulum eam non habeat, *L. 3. & 4. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Quod longè certius est, in præscriptione centenaria, vel immemoriali, cum in tali præscriptione tempus immemorabile, seu longissimum tempus vim præsumpti tituli habeat, & tribuat ex privilegio fori Principi, vel à Lege concessio, &c. præsumpti temporis, vel etiam centenariæ, vel ab aliquo, cui jus commune ad præscribendum resistit, vel alia contra præsumptio pugnat, non sufficit bona fides ad præscribendum, sed debet titulus certus allegari, & probari (si præscriptio sit immemorialis, & capacitas possidendi in usucapione) *c. Si de genti. 17. h. r. c. Episcopum. 1. Eodem modo cum præsumptio sit contra bonam fidem, cui jus commune ad præscribendum resistit, si nullum possessionis titulum ostendere possit.*

## §. II.

Quanto tempore præscribantur res mobiles, & immobiles, contra privatos?

**R**es mobiles (quæ loco moveri possunt) præscribuntur triennio cum titulo, & bonâ fide. *L. Unica Cod. De usucap. transfer.* nisi sint res fortivæ, quarum vitium nondum purgatum est, quæ non præscribuntur, nisi triginta annorum spatio, quod tempus etiam requiritur ad præscriptionem aliarum rerum mobilium, si sine titulo usucapio fiat, ut colligitur ex *L. Sicut 3. & L. Si quis 2. Cod. De præscript. 30. vel 40. ann.* Res verò immobiles, quæ loco moveri non possunt, uti sunt fundi, prædia, domus, & similia, inter præsentés, qui in eadem scilicet civitate, vel ejusdem territorio, ac sub eodem regimine habitant, præscribuntur cum titulo decem annis; inter absentes, qui in diversis scilicet territoriis, aut sub diverso regimine habitant, viginti annis; sine titulo verò, tam inter absentes, quam præsentés triginta annis, si sint res privatorum. Si verò præscriptio fiat absente per partem temporis præscribente, & per aliam partem præsentē, servanda est proportio absentis & præsentis, ita tamen, ut anni absentis duplicentur, veluti si quis per quinque annos præsentis sit, qui rem immobilem usucapit, reliquo tempore verò sit absens, quindecim anni ad præscribendam talem rem requirantur.



Pirhing, Compend.

## §. III.

Quantum tempus requiratur ad præscribendum contra Ecclesias?

**A**d præscribenda bona mobilia, & contra Ecclesiam Romanam, sufficit triennium, cum circa hæc specialia Ecclesijs concessa privilegia non legantur; ad præscribendum autem bona mobilia & jura Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, aut aliorum locorum piorum &c. quidquid sit de jure antiquo, hodie requiruntur 40. anni de jure ordinario (& ex specialibus privilegijs ad præscribendum bona mobilia Religiosorum S. Bened. &c., & cum his communicantium, quoad hoc privilegium, 60. anni) ut patet ex *c. de quarta. 4. c. ad ant. res. 6. & c. illud autem 8. h. t.* ob specialem his locis & causis concessum favorem, ita tamen, ut si res eadem, quæ præscribitur, prius per tempus aliquod privati fuerit, postea in Ecclesiam transferatur, ea serveatur proportio, ut tempus quidem illud, quo contra privatum præscribitur, computeur, addatur verò tantum temporis, quantum illi deest, juxta Ecclesiarum privilegium, complendo scil. præscriptionem intra 20. annos, si contra privatum v. g. per 5. annos coepa sit, dimidiam scil. partem temporis habendo ex usucapione contra privatum, & alteram dimidiam partem accipiendo ex usucapione contra Ecclesiam. Excipiuntur tamē ab hoc jure communi quadragenaria contra Ecclesiam præscriptionis casus specialis, quo jura alicujus Ecclesie ab hæreticis vel Schismaticis recuperata, & ad fidem Catholicam conversæ ab Episcopo v. g. convertente intra triennium

A a a

præ-

præscribuntur, prout deciditur in *c. Placuit 1. h. t.* ob favorem scilicet fidei, & ad excitandam Episcoporum diligentiam, si in culpabili mora convertendæ talis plebis proprius Episcopus fuerit.

Ad præscribenda bona immobilia & jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia requiritur tempus centum annorum, prout sumitur ex *c. Ad audientiam 13. h. t. & c. Cum vobis 14. eodem.* quod privilegium centenariæ præscriptionis etiam alijs indirectè & in consequentiam prodesse potest, quatenus jus habent ab Ecclesia Romana, & huic præjudicantur, prout etiam colligitur ex *c. Dilecta. 4. de confirm. utili.* Et quamvis contra ea, quæ de jure Divino, quoad supremam jurisdictionem & potestatis plenitudinem, ac specialiter reservata in signum specialis prærogativæ &c. Papæ conveniunt, quæ nunquam inferioribus concedi solent, nullo unquam tempore præscribi possit, ut ex dictis patet, immemorialis tamen præscriptio negari non debet circa ea, quæ nonnunquam inferioribus etiam à Pontifice conceduntur.

## §. IV.

De tempore quo præscribi potest contra Principem vel ejus Fiscum?

Contra Principem nunquam præscribuntur, quæ ipsi competunt in recognitionem supremæ potestatis illius, ut dictum, neque ea bona contra Principem præscribuntur, quæ illi soli ratione dignitatis reservantur, si nulli subdito ea communicari à Principe soleant, ut iterum ex dictis patet: quæ verò ad jurisdictionem Principis pertinent, subditis tamen, quamvis raro, nonnunquam solent com-

municari, præscribi contra illum possunt, prout dicitur in *e. super quibusdam ab §. Præterea de V. S.* sine titulo quidem tempore immemoriali; cum titulo intra 40. annos; vel si bona sint, quæ ad coronam spectant, intra centum annos, cum enim tot anni requirantur ad præscribenda bona Civitatis cum titulo *argu. L. ult. Cod. de SS. Ecclesijs,* magis ad præscribenda bona regni requirentur.

Ad præscribenda verò bona tam mobilia, quam immobilia contra Fiscum Principis, si bona talia fisco jam sint incorporata, requiruntur cum titulo 40. anni; si vero nondum sint fisco tradita & incorporata, neque etiam fisco denunciata, quamvis illi debita sint, præscribuntur tempore ordinario, scilicet privatorum bona; si verò denunciata sint fisco, nondum autem tradita & incorporata, quadriennio præscribuntur de quibus videantur *Civilistæ.* Ceterum adversus fiscum Ecclesiæ Romanæ nisi centum annis præscribitur, & adversus fiscum inferiorum Ecclesiarum 40. annis, sicuti supra de præscriptione contra Ecclesias dictum.

## §. V.

De tempore quo præscribi possunt bona feudalia & emphyteutica?

Etiam hujus §. materia potius à *Civilistis* quam à *Canonistis* pertrahenda, de ea tamen breviter dici potest, ad inducendum vel constituendum feudum viâ præscriptionis, requiri cum titulo 40. annos, sine titulo tempus immemoriale; ut tamen extraneus jus feudi contra Vasallum vel etiam contra Dominum



feudi præscribat, sufficere 30. annos: ut verò dominium utile feudi præscribere possit extraneus, si ignoret hanc alienationem seu translationem in extraneum Dominus feudi, requiritur tempus immemorabile, vel 100. annorum, si præscriptio fiat contra Dominum feudi; si tamen extraneus rem talem in se alienatam non ut feudalem, sed allodialem bonâ fide possideat, præscribit ejus dominium directum adversus Dominum 40. annis: Contra Vasallum verò Ecclesiæ, ut ab extraneo feudum Ecclesiasticum vel Ecclesiastica emphyteusis præscribatur, requiruntur 30. anni, si sciente Ecclesiâ, penes quam est dominium directum, præscriptio talis fiat; si verò fiat ignorante Ecclesiâ, requiruntur 100. anni, ut melius consulatur Ecclesiis, quarum interest scire, quem Vasallum aut Emphyteutam habeant, alij tamen minus etiam tempus sufficere putant.

## §. VI.

*Quo tempore præscribi possint iura quadam spiritualia?*

**B**eneficium, quod possidet aliquis bonâ fide, cum titulo colorato contra alium, cui legitime beneficium tale collatum fuit, ut præscribat ille, 10. requiruntur anni inter præsentem, inter absentes verò 20. anni, juxta modum, quo alia iura & bona immobilia præscribuntur, cum peculiare privilegium, quoad talem præscriptionem, non habeat beneficium: sine titulo autem non potest præscribi unquam, cum sine titulo neque bona fides adsit, quæ sine Canonica institutione (saltem existimata) non habe-

tur: per hodiernam tamen Cancellariæ regulam statuitur, ut si quis bonâ fide & cum titulo colorato, per triennium pacificè beneficium possederit, quoddam absque Simonia (reali scilicet) ingressus est, ita ut neque intrusus fuerit in tale beneficium Apostolicæ dispositioni reservatum, molestari amplius super tali beneficio non possit, & tutus sit non tantum in foro externo ad vitandas lites, sed etiam in foro conscientie ad tollendos scrupulos.

Jus eligendi Episcopum aut alium Prælatum, extranei Clerici, qui non sunt de Collegio, ut præscribant, 40. anni requiruntur cum titulo colorato, vel tempus immemorabile sine titulo, si hoc usucapere velint exclusis Capitularibus *juxta c. 1. b. t. in 6.* Si verò jus hoc per præscriptionem obtinere volunt, ut unâ cum Capitularibus ipsi extranei Clerici eligant, tum non opus est titulo, sed sufficit longissimum tempus 40. annorum, prout contra Ecclesiam præscribitur, neque enim in hoc casu extraneis Clericis jus resistit, aut magni præjudicij res agitur, cum Capitulares ab eligendo non excludantur, & horum scientia & patientia extraneo Clerico ad jus eligendi præscribendum pro titulo servire possit.

Jus Patronatus, sive jus præsentandi ad beneficia, si constet Ecclesiam ab initio fuisse liberam, sine titulo non præscribitur à Laico, nisi tempore immemoriali; & quia præsumptio juris tali præscriptioni resistit, cum titulo non præscribitur nisi 40. annis; si verò dubium sit, libera num fuerit Ecclesia Parochialis, possunt Parochiani jus Patronatus

tus in tali Ecclesia præscribere intra tempus relatum, cum verisimile sit illos fuisse fundatores: si autem Ecclesia libera non est, sed constat, illam Patronum habere, tunc jus Patronatus à Laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes; sine titulo autem annis 30. prout alia bona immobilia, & jura contra privatos præscribuntur, neque enim ut sic contra Ecclesiam præscribitur, cujus parùm interest hunc vel illum habere Patronum. Quid autem hac in re statutum hodie sit in Tridentino, in titulo de jure Patronatus videbitur.

## §. VII.

*De tempore, quo præscribuntur jura servitutium, obligationes & actiones.*

Servitus mixta, quæ à re debetur personæ, uti est ususfructus v. g. usus & servitus merè realis, quæ à re rei debetur, sive affirmativa illa sit sive negativa, sive rustica sive urbana, cum bona fide & titulo inter præsentem 10. annis acquiruntur, inter absentes 20. annis, sine titulo annis 30. nisi servitus continua aut quasi continua fiat sciente & patiente Domino, ad quam taliter præscribendam etiam sine alio titulo sufficiunt 10. anni inter præsentem, & 20. inter absentes; aut sit discontinua, quæ sine titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali, ita tamen ut ad hanc præscriptionem non requiratur scientia, & patientia Domini. Amittuntur verò per præscriptionem servitutes, reales quidem rusticæ per solum non usum, 10. annis inter præsentem, & 20. annis inter absentes. Urbanæ ve-

rò per non usum & positivum actum præscribentis contrarium servituti debent; prout variis juris sui textibus probant Civilistæ, quos consule, tam de servitutibus præscribendis, quam de actionibus & obligationibus, quorum tempus præscriptionibus talibus necessarium.

## §. VIII.

*Quomodo præscriptio temporis memorialis, & centenaria inter se differant, & qualiter utraque probetur?*

Immemorialis possessio dicitur illa, cujus initium hominum memoria non cedit, hominum scilicet qui cum vivunt, præscribitur autem excedere hominum memoriam, quod excedit 100. annos, qui est in ordinariè vitæ longævitate hominum, de qua præscriptio immemorialis in eo differat à centenaria, quod hujus præscriptionis sit certus terminus, & non requiratur ignorari hujus initium, illius verò immemorialis præscriptionis non sit certus terminus, & non sciatur, quando cepit. Quin etiam differant inter se modo probandi, quamvis enim utraque per testes probari possit, potest tamen centenaria etiam per instrumentum publicum probari, ex quo de possessione 100. annorum constat, & immemorialis ut legitime per testes probetur, debet hi deponere, quod hæc ita esse à majoribus viderint & audiverint; nequam unquam contrarium viderint vel audiverint; & quod communis semper opinio & fama publica fuerit, rem ita esse habere; & ex probabili debent hi testes 54. annorum esse, qui de 40. annis

stentur, intra hoc tempus nunquam vidisse vel audivisse se aliud.

## SECTIO IV.

*De nonnullis impedimentis praescriptionis, quominus ea procedat, vel capta continuetur, & derestitutione adversus eam jam completam.*

## §. I.

*Quando praescriptio non procedat, seu noncurrat, vel dormiat, aut suspendatur?*

Præscriptio dicitur non procedere, sive non currere, quando ob aliquam causam incipere non potest, vel quia deest possessio civilis, sine qua nulla datur usucapio; vel quia bona fides aut titulus deficit, si hic ad præscribendum est necessarius; vel denique ex incapacitate ipsius rei ad præscribendum hic & nunc inhabilis; dormire dicitur præscriptio, quando inchoata quidem legitimè jam est, propter impedimentum interveniens ad aliquod tempus currere non potest, sed suspensa manet, & quasi quiescit, ita tamen, ut cessante tali impedimento, iterum currat, & continuari possit, ad præscriptionem complendam tempus, quod, antequam dormiret præscriptio, currabat, & tempus, quod post ablatum impedimentum currit. Censetur autem tali modo dormire, primò tempore hostilitatis sive belli, uti patet *ex c. extranmissa 10. h. t.* Secundò dormit præscriptio contra Ecclesiam, quando hæc vacat *c. i. & ult. ne sede vacante &c.* vel si Prælati agere non possit censurâ aliquâ aut im-

pedimento juris (non facti tantum) impeditur *c. 1. & c. Auditis 15. h. t.* Tertio contra Ecclesiam Romanam dormit, si schisma sit in illa Ecclesia; vel contra Romanum Imperium, si vacat hoc, aut contra pupillum, si duret adhuc pupillaris ætas &c. quia in his casibus aut jura non dicuntur, vel de jure agere non potest, contra quem præscribitur, vel suo legitimo defensore caret Ecclesia &c.

## §. II.

*Quando & quomodo præscriptio interrumpatur, & an etiam per impetrationem privilegij contrarij.*

Interrumpi dicitur præscriptio, quando antequam completur, ita cessat, ut cessante etiam interruptionis causâ prius & posterius tempus non continuentur ad complendam præscriptionem, sed de novo debeat inchoari, & totum tempus præcedens interruptionem sit extinctum, prout sumitur *ex c. illud autem 8. h. t.* qualis interruptio censetur fieri, quando deficit aliquid, quod ad substantiam sive essentiam præscriptionis requiritur, ut si amittatur possessio civilis; si cesset bona fides; si cesset titulus, ubi hic requiritur; vel si jura ita disponant (à quorum dispositione præscriptio vim suam & auctoritatem habet) prout de præscriptione longi & longissimi temporis disponunt, quod interrumpatur per litis contestationem Juridicam, si postmodum sententia contra possessorem lata fuit, nisi præsumptio sit ex sufficientibus conjecturis contra Actorem, quod litem malo animo, præcisè ad interrompendam aut prolongandam præscriptionem moverit.

A a a 3

Si

Si quis autem impetret privilegium contrarium prescriptioni, interrumpitur quidem prescriptio, si ea nondum completa sit, quia post impetratum privilegium videtur esse in mala fide prescribens, ex hoc videlicet capite ad privilegium sibi impetrandum motus, quod putaret rem talem ad se non pertinere; si vero completa jam sit, nihil ei nocet privilegium impetratum contrarium prescriptioni, sed hoc tantum operatur, ut in posterum prescriptione uti non possit ad rem prescriptam sibi defendendam, cum huic, eo ipso, quod privilegium contrarium prescriptioni impetrare vel voluerit, vel impetraverit, prescriptioni renuntiasse videatur; cui tamen non renunciat, si privilegium, quod non est contrarium prescriptioni, impetravit, cum tale privilegium ad majorem tantum cautelam & corroboracionem prescriptionis &c. impetratum potius videatur.

¶ (o) ¶

*Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus prescriptionem?*

**C**onceditur hoc privilegium primo Minoribus 25. annis, adversus prescriptionem etiam longissimi temporis ut eam petere possint intra quadriennium post impletum 25. annum. Secundo conceditur Ecclesijs, alijsque locis, quamvis 40. aut 100. annorum prescriptio contra ea completa jam fuerit. Tertio conceditur non tantum Majoribus, si justa causa sublegetur, ob quam prius, dum contra eam currebat prescriptio, agere non potuerunt & quidem contra prescriptum longi temporis justa etiam causa concedendæ restitutionis in integrum Majoribus, videtur etiam aliquibus quod invincibiliter ignoraverit aliquam currentem contra se prescriptioem, quam tamen ignorantiam justam concedendæ Majoribus restitutionis in integrum negant aliqui, quia prescriptio æquè præjudicat ignorantibus ac scientibus *ra c. Vigilanti §. h. i. & L. ult. de prescript. long. temp.*



## T I T U L U S XXVII.

## DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

## SECTIO I.

## De Sententia.

## §. I.

Quid & quotuplex sit Sententia,  
& quomodo à re judicata  
differat.

Sententia in genere definiti potest, quod sit judicialis decisio rei controversæ per pronuntiationem Judicis ritè factam, liti finem imponens. Duplex autem est Sententia, alia definitiva, quæ principalem causam definit, eique finem imponit per absolutionem vel condemnationem: alia est interlocutoria, quæ non super principali negotio, sed super aliquo emergente vel incidente articulo inter principium & finem Cause fertur, quæ à definitiva in eo etiam differt, quod definitiva ordinariè ab eodem Judice revocari non possit, possit autem interlocutoria ante definitivam, ut quæ nunquam respectu Judicis in rem judicatam transit, nisi habeat vim definitivæ, imponentis finem illi instantiæ.

Differt autem à re judicata Sententia, quod hæc sit ipsa Judicis definitio, & pronuntiatio, illa verò sit res controversa, de qua Sententia lata est, & quæ per Judicis decisionem finem accipit; subinde tamen pro eodem videntur summi Sententia & res judicata, ut cum di-

citur Sententiam transire in rem judicatam, quæ tamen videtur potius esse questio de nomine.

## §. II.

Qualis Sententia sit ferenda?

Sententia ferri debet secundum Legum & Canonum præscripta, ita ut contra jus constitutionis lata, sive contra Legem aut Canones clarè & indubitatè præscribentes certam aliquam in re certa Sententiam, aut modum, sit ipso jure nulla, etiamsi prætextu consuetudinis reprobata à jure lata sit. *Cum causa 8. h. t.* cum consuetudo talis nihil valeat, & Iudex non habeat jus arbitrandi contra Legem aut Canones. Si verò lata sit contra jus litigatoris, contra merita causæ scilicet, valida quidem sit talis Sententia ob præsumptionem pro Iudice, (ita tamen ut appellatio remedium afferre possit) si error juri Litigatoris contrarius in Sententia expressus non sit (nisi notoriè injusta esset Sententia. *Inter ceteras 9. h. t.*) nulla tamen sit ipso facto, si error hic juri contrarius expressus in Sententia sit, quæ enim præsumptio pro Iudice est, si error taceatur, cessat, si error exprimat.

Debet autem Sententia Iudicis non tantum certa esse, etiamsi summa incerta petita sit, quatenus res in iudicium deducta patitur, sed debet etiam expressè

ve

vel saltem virtualiter continere absolutionem aut condemnationem, non tamen causam, quæ Judicem movit ad absolvendum vel condemnandum, *juxta c. Sicut 16. h. t.* nisi necessitas præcepti urgeat, prout urget in sententia excommunicationis, *c. 1. De sentent. excommunicati. in 6.* aut diversi effectus, quos sententia parere potest, expressionem causæ requirant.

## §. III.

## Quomodo sententia ferenda sit?

Primo ferenda est sententia partibus litigantibus ad eam audiendam vel trinâ citatione, vel unâ peremptoriâ citationis, cum illi, quorum interest audire iudicatum, debeant esse vel verè vel interpretativè præsentis, quales haberi non possunt, si citati non fuerint, & contumaciter absint, *Clem. Pastoralis 2. h. t.* Nisi factum sit notorium, ita ut Reo nulla defensionis causa competat. *Argu. c. Cum olim 12. juncta Glossâ V. absentis. h. t.* Si tamen legitimè citatus ad audiendam sententiam ex justa quidem, sed Judici ignorata causa absit, tenet quidem sententia, eo absente, lata, retractatur tamen, si legitimè absentia suæ impedimentum postmodum probet, aut probet eam ex alio capite iniquam fuisse, prout sumitur ex *c. Cum Beriboldus 18. h. t.* ut ne reus injustè gravetur.

Secundò ferenda est sententia cum causæ cognitione, & servatis à jure præscriptis solemnitatibus, *c. Ad probandum 24. juncta Glossâ V. ex alia iusta causa h. t.* ita ut etiam Summus Pontifex in causis decidendis juris ordinem servare debeat

*c. Incausis 19. h. t.* Cæquitate hoc regente, & ad alios Judices redimere exemplo) nisi considerata necessitate vel utilitate dispensativè aliter agendum putet Pontifex, cujus plenitudini nihil obstat jus merè positivum humanum.

Tertiò debet ferri sententia definitivè purè & non sub conditione; per hoc enim si conditio propriè dicta sit facta & extrinseca esset, non definiretur proposita controversia, sed maneret suspensa. Feruntur tamen A. A. ferri quidem eam sub tali conditione non debere, tamen tenere, cum per appellationem in medium corrigi possit.

## §. IV.

De alijs nonnullis conditionibus requisitis ad sententiam, & quomodo ea ferenda sit?

Scripti eam debere, & postea ex scripto ab ipso Judice recitari, & dicendo non stando proferri statutum habetur in *c. Et si 5. h. t. in 6.* (cum ut recitata sententiæ occultari non possit, si scripta non feratur, tum ut ipsi sententia Judici ferenti major reverentia debeat nisi levis tantum & exigui momenti causa foret, inter viles præsertim penitentialis, quæ sine scripto expediuntur, ut fori alia consuetudo esset, quæ observari debet, aut sententia tantum esse interlocutoria; vel in causa notoria, vel personæ sententiam talem ferentes, si vestres essent, aut in dignitate constituta quibus conceditur ob dignitatis prerogativam, ut sententiam in scripto conceptam per alium partibus profertur sint &c.

Debet autem sententia ferri in loco publico

publico, ubi tribunal ordinarium habet Index (si ordinarius sit vel si delegatus sit ad universitatem causarum in loco delegantis; si vero delegatus sit ad particularem tantum causam decidendam, ferre sententiam potest in quovis loco honesto & congruo, cum certum tribunal non habeat) & tempore congruo, die scilicet non feriato, & eo tempore, ad quod citatio facta fuit; de die & non de nocte; prout sumitur ex c. *Consuluit*. 24. de offic. deleg. tum ut omni falsitati preveniatur, cui tenebræ potiùs quàm dies conducunt, tum ut ne partes extraordinarie graventur, si vel loco vel tempore extraordinario comparere debeant &c. Multum tamen in his potest ipsarum partium litigantium consensus & loci consuetudo, quæ observari debent.

## §. V.

*Contra quem ferri debeat sententia, quando Dominus agit per procuratorem, & quomodo sententia sit probanda?*

DE jure Civili contra Procuratorem ordinariè ferri debet sententia, si per procuratorem civiliter agatur, & cum hoc nomine quidem absentis, lis contestata fuerit, l. 1. Cod. de sentent. & interlocut. &c. quia Procurator per litem contestationem fit Dominus litis, ut cum hoc quasi contractum censetur. Ius tamen Canonicum ad has legales subtilitates nihil attendit, ita ut sententia de jure Canonico valeat, si per Procuratorem, si in principalem personam absentem concipiatur, qui enim per alium facit, perinde est, ac si faceret per seipsum, juxta Reg. Juris 72. in 6.

*Pirking, Compend.*

Probari etiam potest & debet sententia, si scriptura deperdita sit, per duos testes c. *Cum olim* 12. de Privileg. ita tamen ut tria in tali casu probanda sint, actum scilicet fuisse celebratum, instrumentum super eo confectum, & hoc amissum fuisse, juxta l. *testium* 18. Cod. de Testibus.

## §. VI.

*Quomodo sententia ferenda sit conformiter Libello, & an si in illo certa causa expressa sit, ea probari debeat?*

SENTENTIA ferri debet secundum tenorem & formam Libelli, *Clement. sapientia* 2. de V. S. & quidem in tribus conformis esse debet Libello sententia. In re scilicet (ut Judex non pronuntiet de alia re, quàm quæ petita est, nisi universaliter illa insit rei petitiæ: aut causa, quæ agitur fuerit criminalis; vel in supremo tribunali agatur) in causa petendi (ut Judex aliam causam non proferat) & in actione (ut eam actionem sequatur Judex, quam Actor instituit) sive condemnet, sive absolvat.

Si specialem causam expressit Actor in suo Libello, & eam probare non possit, succumbit in judicio, & reus absolvitur; quamvis post litem contestatam nova causa superveniret, ex qua vincere posset Actor, cum sententia feratur juxta causam, quam in judicium deduxit; si verò ex generali tantum causa Domini v. g. nullâ speciali causâ expressâ res petatur, tum sufficit actori ad fundandam suam intentionem quamcumque justam causam probare. c. *Abbate* 3. h. t. in 6. vi cujus illi competat dominium v. g.

Bbb quid-

quidquid sit de rigore juris civilis, cui æquitas Canonica hac in re prævalet (ad finiendas scilicet lites) juxta quam, qui in genere rem petit, omne suum jus in iudicium deducere videtur (ad rem illam vendicandam v. g.) non tantum quod tunc habebat, tempore litis contestatæ, sed etiam, quod postea, durante iudicii processu, cœpit competere.

## SECTIO II.

### De re iudicata, sive transitu sententia in rem iudicatam.

#### §. I.

Quando sententia transeat in rem iudicatam, ita ut retractari non possit?

**S**I non appellet pars litigans, contra quam sententia lata est, intra 10. dies à tempore latæ sententiæ computandos, cum tamen posset appellare, sententia transit in rem iudicatam, & jus facit inter partes litigantes, ita ut saltem per remedium ordinarium retractari amplius non possit, si aliàs de jure subsistat. *v. Quod ad consultationem 15. h. t.* (cum talis, intra tempus concessum, non appellans acquiescere sententiæ latæ per iuris interpretationem censetur. *c. Cum dilectus 32. de elect.*) neque illa pars, contra quam lata est sententia, admittatur amplius, si iterum productis actis, vel aliâ ratione probare velit, sententiam contra se latam injustam fuisse, prout sumitur *ex c. Cum inter. 13. b. t.* (cum res iudicata præsum-

ptione juris & de jure pro veritate habetur) aut si prætextu privilegii, in iudicio quidem exhibitum, si tamen contra illam sententiam lata sit, sententiam improbare velit, uti habetur in *c. Suborta 21. h. t.* quia sententia etiam contra tale privilegium lata tenet, quia si exhibitum in iudicio fuit, & tamen contra illud iudicatum fuit, præsumitur invalidum illud opus fuisse, aut revocatum ab eo, qui revocandi habet. Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam, postquam sententia transit in rem iudicatam, pars victor recusat, vel sententia retractari debet, ut si v. g. pars victrix fateatur sententiam pro se latam, injustam esse, vel si notorium sit sententiam esse injuriam, vel si à Judice admissa fuit etiam, postquam in rem iudicatam transiit sententia, exceptio & probatio contra injuriam sententiam, quamvis enim in tali casu admittitur exceptio talem & probationem non deberet Juxta, si tamen admittit, debet super ea exceptione retractari sententia, & si injusta fuerit sententia hæc retractari.

#### §. II.

An si prima sententia transeat in rem iudicatam, secunda ab alio iudice v. g. delegatis contra primam latam valeat?

**E**X *c. Inter 20. h. t.* Respondetur quod non teneat secunda, contra primam sententiam, quæ in rem iudicatam transit, lata, si prima sententia iudicibus exhibitæ non fuit, vel nihil contra veritatem illius oppositum; teneat vero, si prima sententia exhibitæ iudicibus fuit, & de ejus valore disputatum, cum non in tali casu præsumatur, quod Juxta



primam sententiam pro nulla habuerint, etiam si directe nihil pronuntiaverint super valore, aut invaliditate primæ sententiæ, sed tantum pronuntiaverint super causa principali.

## §. III.

Quando & in quibus casibus sententia non transit in rem judicatam, & in primis an in causis matrimonialibus?

Sententiam non transire in rem judicatam, aliud non est, quam quod nulla etiam appellatione interposita, nova tamen instantia iudicii ad causam jam decisam iterum examinandam peti possit; sic sententia contra legitimum matrimonium ad hoc dissolvendum lata, vel quæ lata fuit pro matrimonio, quasi legitime illud contractum fuisset, cum tamen nullam sit, nunquam transit in rem judicatam, cum semper ad illud redintegrandum vel ad hoc dissolvendum, & retractandam sententiam, quoties competentum fuerit, eam errore quodam latam fuisse, agi possit, ut patet ex *c. Lator, 7. b. r.* neque enim ulla iuris, aut iudicis auctoritas, aut partium consensus, &c. potest dissolvere matrimonium validum, aut invalidum reddere validum, cum talis sententia peccatum foveret, dissolvendo eos, qui veri conjuges sunt, aut conjugendo eos, qui non sunt conjuges. Et quamvis per viam simplicis querelæ ad Superiorem etiam causa hæc deferri possit, potest tamen etiam ab eodem Iudice, vel ex officio, vel per viam simplicis querelæ ad se sententia lata retractari, si de iniustitia hujus constituerit. Neque tamen passim, & indifferenter quilibet admitti debet ad sententiam talem impu-

gnandam, ne nimium lites multiplicentur, & cum præsumptio stet pro Iudice; sed prius à Iudice summariâ cognitione dispiciendum, num causa verisimilis subsit sententiæ latæ impugnandæ.

Intelligi tamen hæc debent primò, quòd non transeat in rem judicatam sententia, à qua non fuit appellatum, quoad ipsum matrimonium; quoad litem enim expensas, in quas succumbens condemnatus fuit, transit in rem judicatam sententia, si ab hoc congruo tempore appellatum non fuit, cum pro hoc casu nihil probet allata ratio. Secundò, quòd transeat in rem judicatam sententia, à qua appellatum non fuit, si pro favore matrimonii ex errore quidem malè iudicatum sit, error tamen hic ex consensu partium corrigi possit; si v. g. de matrimonio gravi metu injustè incusso iudicavit Iudex, quòd validum illud sit, & pars metum passa non appellavit post latam sententiam, sed potius vel de novo in matrimonium expressè consensit, vel marito v. g. matrimonialiter post latam sententiam cohabitavit, ita ut in matrimonium prius ob metum invalidum, postmodum consensisse præsumatur, quia sententia talis non fòvet peccatum. Tertiò transit in rem judicatam sententia (saltem quoad nocentem conjugem) si non quidem ad dissolvendum matrimonii vinculum, sed in causa divortii ad cohabitationem tollendam lata sit, quia neque hæc sententia peccatum fòvet, ita tamen, ut innocenti semper liberum sit, etiam post terminum appellationis elapsum, ad reconciliationem partis nocentis agere, nisi nocens statum jam mutavisset, professionem religiosam faciendo.

§. IV.

Bbb 2

## §. IV.

De aliis nonnullis casibus, in quibus sententia non transit in rem iudicatam.

Primò sententia censuræ, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellationem concessam, non transit in rem iudicatam, quò minus excommunicatus v. g. petere possit absolutionem, vel de injusta excommunicatione conqueri, non quidem per viam appellationis, sed per simplicem querelam c. Cum contingat 36. De offic. Iud. deleg. c. final. De panis. c. Sacro, 48. De sent. excomm. & Glossa in c. Ad reprimendum 8. V. Suspendatur. De offic. Iud. ordi. ob eandem scilicet rationem, quæ pro causis matrimonialibus militat.

Secundò sententia lata in causa beneficii, à qua intra decem dies non est appellatum, non transit in rem iudicatam in præjudicium Ecclesiæ (ob favorem scilicet Ecclesiæ) vel in præjudicium animæ, si periculum peccati imminet, arg. c. Lator. 7. b. e. ita ut possit vel ex officio Iudex contra talem, pro quo lata est sententia, inquirere, vel simplicem alterius querelam admittere, & audire: in proprium tamen præjudicium Beneficiati v. g. contradicentis sententiæ latæ transit hæc in rem iudicatam, si suo tempore contra eam non appelletur c. Cum dilectus 32. De elect.

Tertiò, sententia ex falsis instrumentis, & testimoniis lata, non transit in rem iudicatam, etiam si conveniente tempore ab ea appellatum non sit; sed

si probari possit, quod Iudex ex erroris fallitate ad sententiam ferendam motus fuerit, retractari hæc debet c. Sicut, De testibus, & c. Cum l. & A. 2. 2. h. ut ne malitia partis litigantis, & Iudicis condemnantis obstitit innocenti opprobriis falsis instrumentis, & testimoniis.

Quartò, non transit in rem iudicatam decisa lis, quæ ex iuramento necessarii in supplementum probationum parti Iudice delato, definita fuit, quin retractari ea postmodum possit, si per nova instrumenta constet de fallitate iuramenti. L. Admonendi 31. ff. De iurjurand. & Glossa in casu: neque enim quod de iure speciali tantum fit, uti fit litis decisa per iuramentum necessarium parti, preferendum est ei, quod fit de iure communi, prout se habet probatio, quæ fit per instrumenta legitima: hæc tamen non probant contra iuramentum voluntarium parti à parte delatum, quo in decisa litis non fit in vim sententiæ dicte latæ, sed in vim transactiois inter partes celebratæ.

Quintò denique nulla sententia, ipso iure invalida est, transit in rem iudicatam, quò minus ulque viginti annos de nullitate illius agi possit, quòd exigit hoc iuri debita reverentia, tum quòd sæpe in talibus sententiis periculum animæ vertatur.

§\*§

## SECTIO III.

## De sententiis latis à pluribus Iudicibus super eadem causa.

## §. I.

Si plures Iudices in aliqua causa diversas proferant sententias, quanam illarum valeat?

In casu, quo plures hi Iudices omnes sunt presentes, dum diversas ferunt sententias, plurium sententia sive majoris partis, quæ in unam sententiam convenit, tenet, ut tradit *Gloss. in c. Final. h. t. v. proferentibus*. Et sumitur ex *Can. 1. & 2. dist. 65.* nisi vel ex speciali scripto aut privilegio quælibet sententia pro nulla habeatur, si non concordibus Iudicum votis lata sit; vel nisi causa decidenda sit ex consensu duorum Collegiorum, quo in casu non major pars quoad numerum personarum attenditur, sed major pars utriusque Collegii.

In casu verò quo duo sunt Iudices, quorum quilibet diversam ab altero sententiam proferat, vel plures quidem eorum sunt, in numero tamen æquali in ferenda sententia discordant, tenet illa, si Iudices sint ordinarij, & jurisdictionem in solidum quilibet eorum habeat, quæ pro reo fertur, non autem, quæ fertur pro actore (cùm favorabiliores sint partes Rei, quàm Actoris *reg. 115. ff. & prompriora sunt jura ad absolvendum quàm ad condemnandum. c. ex literis 3. de probat.*) nisi sententia pro actore in

causa favorabili, pro valore Matrimonij v. g. pro libertate, pro dote, pro valore testamenti &c. lata sit; his enim in casibus, si Iudices dicti æquali numero discordent, valet sententia, quæ pro actore lata est, ob specialem caulatum illarum favorem. Si verò sint Iudices ad specialem tantum causam delegati, qui in æquali numero quoad sententiam discordant, tunc superior sive delegatus ad eundem est, ad quem causa sufficienter instructa remitti debet pro sententia obtinenda, quia in tali casu neuter habet jurisdictionem in solidum (saltem quoad usum & exercitium) & unus sine altero procedere (ordinariè) aut sententiam ferre non potest.

## §. II.

Utrum ex pluribus Iudicibus, vel Arbitris omnes, vel saltem major pars sententiam proferre debeat, an verò sufficiat, si unus eorum proferat?

Si unus Iudicum vel Arbitrorum, presentibus alijs, mandantibus aut consentientibus (saltem ex majore parte) scriptam sententiam recitat, perinde censeri debet, ac si simul ab omnibus Iudicibus vel arbitris recitata fuisset, quamvis enim sententia proferri non possit per alium, ut dictum, potest tamen proferri per alium, qui est de numero Iudicum, modò in plurali numero loquatur. *Nos Iudices, nos arbitri &c. c. Cùm ab uno. 4. b. 2. in 6.* cùm talis sententia non proferatur ab uno nomine Capituli, & Collegialis non sit.

## §. III.

*An sententia lata à pluribus Con-  
iudicibus, quorum unus iurisdictione  
privatus est, vel eam impeditam  
habet, valeat?*

**N**on valere eam, si delegati hi con-  
iudices sint, probat. *c. ad proban-  
dum 24 h. t.* etiam si dati hi iudices fuis-  
sent cum clausula: Quod si non omnes,  
vel ut si unus nolit vel non possit, alter  
solus vel alii procedant sine illo: neque e-  
nim horum cuilibet in solidum iurisdictione  
competit, sed simul omnibus, & dum  
cum inhabili vitando, excommunicato  
v. g. procedunt, suam etiam iurisdictionem  
infringunt, ut nulla sit illorum sen-  
tentia; quæ tamen ratio cum locum non  
habeat in iudiciis ordinariis, quorum  
quilibet sine altero in solidum iurisdictionem  
habet, consequenter valebit sen-  
tentia, quamvis ea à pluribus feratur,  
quorum unus est excommunicatus v. g.  
vitandus & c. nisi etiam hi scienter admi-  
serint excommunicatum vitandum, quo  
in casu nulla etiam illorum est sententia,  
in poenam temerariæ admissionis excom-  
municati v. g. vitandi.

## SECTIO IV.

*De effectu & executione  
sententia & pena Iudicis per-  
peram iudicantis.*

## §. I.

*Quis sit effectus sententia lata  
inter partes litigantes, & an ea etiam  
prosit vel obsit aliis?*

**P**recipuus effectus sententia debet  
tativa est, quod inter partes litigantes  
inter quas lata est, ius faciat, si ab eo  
fuit tempore congruo appellatum, &  
appellatio deserta fuit, quia cum habeat  
pro veritate *juxta reg. 207. ff.*  
tamen, inter quos lata non est, contrarium  
non præjudicat, *c. Quamvis penult.*  
Neque enim uni per alterum in qua  
ditio inferri debet; & cum litigantes  
se quasi contrahant, in ordine ad iudi-  
cem, coram quo litigant, etiam senten-  
tiam ferre debent, quæ in causâ  
nuntiabitur: contractus autem ex causa  
tium, qui inter se contraxerunt, obligati  
consequenter nemo alius, quam litigantes,  
hanc sententiâ tenebitur; & sicut alii  
non obest, ita nec aliis ea prodest, nisi  
cui principaliter & primo loco actus  
defensio causæ in iudicium debet  
competit, alium paratur agere, quod  
prohibere posset, se substituendo  
cum illius, vel protestando contra  
uti patet *ex L. penult. ff. de re iudicata.*  
passus fuit eum, à quo causam habet,  
gere aut defendere in iudicio, pro  
rum *ex cit. c. penult.* patet; vel nisi pro-  
pter criminis v. g. consortium in  
etiam in consortem redundet, aut ab  
rum legitime citatorum, qui tamen ad  
dicium venire noluerunt, inter sit: sen-  
tia lata; aut denique causæ sint contractæ  
ita ut non possit pro uno aut contra  
num ferri sententia, quin illa etiam  
terum afficiat.

## §. II.

## De aliis nonnullis effectibus sententia.

Plures sunt etiam alii effectus sententia definitivae. Et primò quidem, quod per illam lis seu controversia finitur *argu. c. Iurgantium 2. h. t. saltem* quoad instantiam iudicii, cum Iudex sententia definitivam latam fundat suo officio, & quoad hanc causam Iudex esse definit; quamvis eodem die, quo tulit sententiam, supplere adhuc possit, quae ad causam consequentia spectant, ut si omisit condemnare ad expensas litis, vel ad fructus restituendos &c. Imò si ordinarius Iudex est, non tantum declarare postmodum potest, sententiam à se latam nullam esse, sed denuo causam talem ex integro resumere potest, quia nullam sententiam ferendo non censetur suo officio functus.

Secundus latæ sententia definitivae effectus dici potest, quòd ea à superiore, si rite & iuste lata sit, sit confirmanda, prout sumitur *ex c. ea qua 4. h. t. si nimirum confirmatio talis à superiore postulata fuit ad majus scilicet latæ sententia robur.*

Tertius effectus dici potest, quòd nullum sit rescriptum contra sententiam prius latam impetratum, si hujus non fiat mentio, & consequenter etiam collatio v. g. beneficii, si facta fuit vi talis rescripti, nulli erit, prout sumitur *ex c. Cum olim 12. h. t. verisimile enim est, quòd Papa v. g. tale rescriptum concessurus non fuisset, contra sententiam aut pronuntiationem prius à se factam, cum*

nemo in dubio presumatur proprium factum impugnare, sed potius presumatur circumventus, ita ut nec motus proprius presumptionem hanc, quæ juris & de jure est, corrigat.

Quartus effectus sententia definitivae dici potest, quòd interdum irroget infamiam Reo condemnato, qualiter in *L. Athletas §. ult. ff. de his, qui nota. infra.* statuitur de condemnatis in causa injuriarum, sive civiliter sive criminaliter de injuria agatur.

Quintus denique effectus sententia definitivae dici potest, quòd ex sententia pro Actore lata competat ei actio in factum, ad præstandum id, in quo Reus condemnatus est: quæ actio sicuti hæredibus etiam actoris datur, ita etiam contra hæredes Rei datur. Reo autem absoluto per sententiam datur exceptio rei judicatae contra Actorem, ejusque hæredem.

## §. III.

*Per quem, & quo tempore, modo, ac ordine executio sententia faciendæ sit?*

Executio sententia fieri debet ab eo Iudice, qui eam tulit, si quidem sit ille ordinarius, *L. à Divo Pio. 15. junct. Gloss. V. à se. ff. de re judicat.* aut Papæ delegatus. *c. In literis 9. junct. Gloss. in casu & c. Pastoralis. 28. de offic. lud. deleg.* ita ut, si interposita appellatione Iudex appellationis prius latam sententiam confirmet, quam tulit Iudex à quo, ad hunc remittere debeat partes pro executione, ut iudicium, ubi latum est, ibi etiam perficiatur, ad meliorem Reipublicæ & talium negotiorum ordinem. Et quamvis multi

multi dubitent, utrum hæc ipsa executio etiam competat delegatis ab inferiore aliquo Magistratu, ab Episcopo v. g. vel utrum partes ad delegantem pro executione remittendæ sint, cum Delegatus talis omni suo officio functus videatur, pronuntiando sententiam, quia tamen, cui causa expedienda committitur, omnia etiam commissa merito censentur, quæ ad causæ talis expeditionem spectare videntur, ideo probabilius est etiam his delegatis suæ sententiæ executionem competere, nisi specialiter hæc illis prohibita esset.

Non est tamen sententia (saltem in Civilibus) statim executioni mandanda, sed expectandum est saltem per dies decem (ut locus detur interponendæ appellationi, si parti gravatæ videatur appellandum) & in debitis personalibus temporæ à jure definitum ad executionem, est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur, prout patet ex c. *Quod ad consultationem*. ita tamen, ut ex justa causa possit hoc tempus abbreviare Iudex. In realibus verò actionibus sententia statim, ut ea in rem iudicatam, post decem dies appellationi concessis, transit, executioni mandanda est, & rei possessio actori, pro quo iudicatum est, danda, ita ut ad executionem non sufficiat, pignora tantum dare pro re, ad quam condemnatus est, iuxta c. *Cum aliquibus* 6. h. t. nisi restitutio statim faciendæ impossibilis esset, aut pars victrix spontè pignora v. g. pro re, vel æstimationem rei, &c. admitteret, in ejus favorem restitutio præcepta est, & cogenda esset. In causis verò criminalibus executio statim fieri potest, præ-

sertim in Germania, ubi juxta hanc criminaliter condemnato non conceditur appellationis remedium.

## §. IV.

*An is, cui commissa est executio possit admittere exceptiones oppositas contra executionem sententiæ, & de illis cognoscere?*

**D**Uplex communiter dicitur Executor, si distinctus hic à Iudice, alius dicitur & est merus executor, si nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur, alius mixtus dicitur, & est, cui non tantum executio, sed aliqua etiam cognitio faciendæ executione committitur, hæc ergo admittere potest exceptiones, que tendunt non ad impugnandam sententiam, ac illis de aliqua injustitia arguenda, sed que tendunt ad impediendam, aut retardandam executionem, & de illis cognoscere, c. *De cetero* 5. h. t. Nemo enim assumere sibi debet Executor potestates Iudicis, cui de causâ principali cognoscere convenit. Si verò merus Executor quis constitutus sit, nulla ipsi cognitio causæ competit, & consequenter admittere non potest ullam exceptionem, sed sola exequendi necessitas illi incumbit (cum omnis cognitio etiam ad executionem pertinens supponatur in casu præmissa) quamvis sciat injustam sententiam à Iudice latam, cum illa non sit discernere justè an injustè iudicatum sit, nisi injusta sententia lata esset in causa criminali, ubi de vita, aut membris hominis agitur (ad cujus velut inanimatæ malæ executionem nemo cogi potest) vel in causa etiam Civili indubitatè

esse lata sententia (cū sententia nulla non sit sententia, neque transeat unquam in rem iudicatam) prout colligitur ex c. Super eo. 2. De crimin. falsi. & quamvis multi sint, qui dicunt, Executorem non posse exequi sententiam formaliter injustam, ex malitia v. g. Iudicis latam, si sciat formaliter eam iustam esse, cū in tali casu nihil operari possit p̄sumptio pro Iudice, sunt tamen etiam, qui cum Glossa in c. Pastoralis 28. §. Quia v̄v̄o V. Etiam si sciat. De offic. Iud. deleg. contrarium teneant, quod scilicet merus Executor sententiam etiam, quam scit formaliter injustam, exequi possit, si onus impositum declinare non possit, aut non possit ad Superiorem velut gravatus recurrere, tum quod pars sibi adscribere debeat, si quod patitur ab Executore tali incommodum, eod quod intra tempus debitum non appellaverit; tum quod huic parti contra Iudicem de damno dato agendi remedium adhuc superfit. Huc tamen etiam merito Executori, quamvis nulla jurisdictio competat, non tamen omnis coercitio, (facti scilicet) neganda est contra executionem impediētes, ne inanis sit facta illi executionis commissio.

## §. V.

*An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententia inter alios lata?*

**EX c.** Cū super 17. h. t. habetur, quod, quamvis contra principalem actorem in iudicio sententia lata sit, tertio tamen, cuius interest, qui tamen iudicio tali non interfuit, nihil noceat, neque exinde p̄iudicium aliquod pati de-

Pirhing, Compend.

beat, ita ut appellare etiam, possit à lata sententia, neque executioni ea mandari possit, donec etiam illius tertii causa, qui ob suum interesse, postquam cognovit sententiam hanc latam fuisse, legitime appellavit, cognita fuerit, nec possessio rei vel iuris ipsi auferri, cū nemini sine causæ cognitione sua possessio auferri debeat. Ex quibus facile patet, posse tertium pro suo interesse intervenientem impedire executionem sententiæ inter alios latæ, ita ut contra Reum quidem condemnatum in iudicio sententia confirmari possit, contra tertium verò, si rationabiliter appellavit, infirmari, vel saltem executio illius suspendi: quamvis ante appellationem interpositam summarie probare debeat hic tertius appellans, suū interesse, latam contra alium sententiam, vel certe p̄stititā prius cautione indemnitate ille cavere deberet, si executio videretur urgere.

## §. VI.

*An is, contra quem in aliqua causa tres sententia confirmata sunt lata, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum, antequam huiusmodi sententia plenè fuerint executioni mandata?*

**R**espondetur ad hanc quæstionem, in Clement. ut calumniis. h. t. negativè, sive deinde sententiæ hæc fuerint interlocutoria tantum, sive definitiva, sive immediatè ad se invicem, sive mediatè lata, ut occurratur scilicet calumniis litigantibus, prout dicit Pontifex. Quæ constitutio locum etiam habet in causa criminali, ita ut executio illius fieri debeat, antequam agatur de nullitate sententiarum,

Ccc

rum,

rum, si scilicet de tali causa criminali agatur, cujus executio postea retractari potest. Quod si tamen plenè sit facta executio contra talem, tribus conformibus sententiis super eodem articulo condemnatum, non prohibetur hic agere aut excipere, ac admitti debet contra nullitatem harum sententiarum, vel alicujus ex illis, ne innocens nimium gravetur.

## §. VII.

*Qua sit pena iudicis malè iudicantis?*

**D**E jure Civili Iudex, qui malè iudicavit, lucem suam facit, sive se peri-

culo litis obstringit, ad omne damnatum parti læsæ, vel ad litis saltem estimationem refarciendam, &c. de jure Canonico verò, si contra suam conscientiam, & contra justitiam malè iudicavit Iudex Ecclesiasticus, ita ut pars litigans in iudicio tali committendo, & non neglegendo tantum gravetur, motus ad iudicandum favore alterius partis, vel odio, timore, aut per avaritiam, &c. incurrit suspensionem insuper per annum ab officii executione, uti habetur in *Cum aterni*. i. h. t. in 6. dignum est etiam ut ait Pontifex, ut, qui in tot offendit, pœnâ multiplici castigetur.

## T I T V L V S XXVIII DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS,

## S E C T I O I.

*De appellationibus in genere.*

## §. I.

*Quid, & quotuplex sit appellatio, & cur sit inducta?*

**A**ppellatio communiter definitur, quòd sit à minore, seu inferiore ratione gravaminis illati vel inferendi, ad majorem seu Superiorem, tanquam Iudicem, facta provocatio. Duplex autem est appellatio, Iudicialis, & extrajudicialis. Illa fit ab actibus judicialibus, & interponitur vel ante litis contestationem,

ratione gravaminis scilicet, in iudicio litis contestationem evenientis; vel post litis contestationem ante sententiam definitivam, circa interlocutoria; vel denique fit ab ipsa sententia definitiva, in ejus executione. Extrajudicialis est, quæ fit ab actibus extrajudicialibus gravaminibus, vel quòd Iudex extrajudicialiter procedens gravet, vel quòd alii per contumeliam v. g. factam, aut furorantem gravamen aliquod inferant. Et quamvis hæc extrajudicialis appellatio propriè dicta appellatio non sit, nec in odiosis statutis aliquid de appellatione, appellatio nomine veniat, & non requirat Iudicem à quo, & ad quem, potest tamen in latiore aliquo sensu appellatio dici, quæ



ad Iudicem superiorem causam v. g. deferret. Causæ autem, ob quas appellationis remedium introductum est, sunt plures. Prima est, ut gravamen iniquè illatum removeatur. Secunda, ut iniquitas, seu imperitia Iudicum corrigatur. Tertia est, ut læsus per propriam ignorantiam, vel negligentiam jus suum consequi possit, & hinc appellatio propriè dicta, quoad substantiam, est juris naturalis, quia est præsidium innocentæ, quoad formalitates verò, seu solemnitates appellationis, est juris positivæ.

§. II.

*Quid sit supplicatio, & quomodo ab appellatione differat?*

Supplicatio propriè & strictè dicta, sicut in hoc titulo accipitur, aliud non est, quam humilis petitio, per quam allegat læsionem, sive gravamine, à Principe v. g. petitur, ut sententia lata contra supplicantem, ex mera gratia & benignitate Principis retractetur; cum enim ordinarium appellationis remedium huic fortasse non competat, æquum videbatur, ut extraordinario remedio supplicationis ei succurratur. Differt autem ab appellatione primò, quòd appellatio suspendat executionem sententiæ, non autem supplicatio strictè dicta, (quæ cum meram gratiam quærat, executionem impedire non debet) sed cautio ab eo, pro quo lata est sententia, præstari debet de restitutione faciendâ, si supplicans causam obinebit. Secundo differunt inter se appellatio & supplicatio hæc, quòd appellatio fieri debeat intra decem dies à lata sententia, supplicatio autem institui potest usque ad bien-

nium, ita tamen ut si non fiat intra decem dies, sed intra duos annos, executio sententiæ fieri possit, etiam nullâ præstitâ satisfactione. Tertio differunt, quòd appellatio fiat ad Superiorem Iudicem; supplicatio verò plerumque ad eundem Iudicem, Principem v. g. qui sententiam tulit. Quarto differunt, quòd appellatio sit remedium ordinarium in iustitia fundatum; supplicatio verò sit remedium extraordinarium in gratia Principis, cui supplicatur, fundatum, &c. posterioribus tamen his temporibus beneficium revisionis ad exemplum supplicationis, introductum est, ita tamen, ut etiam revisio hæc, à vera supplicatione differat, quæ non suspendit executionem sententiæ, ut dictum, cum tamen revisionis beneficium suspendat executionem sententiæ, donec causâ cognitâ constare possit, rescindendam sententia sit, an confirmanda, vel reformanda.

SECTIO II.

*De iis, qui appellare possunt?*

§. I.

*Quibusnam in genere appellare permissum sit?*

Appellare potest, non tantum ille, contra quem sententia lata est, sed quilibet alius, cujus interest ex aliqua causa, non ita fuisse judicatum, etiam si iudicio non intervenierit, ut ex dictis jam patet, ita ut non tantum suo nomine, sed alieno etiam nomine appellare possit

CCC 2

possit Procurator v. g. pater pro filio, aut alius ratione commissionis, &c. modò ratam habeat talem appellationem, cujus nomine appellatum est; quin etiam fieri nonnunquam potest, ut utraque pars litigantium à sententia lata appellare possit, quatenus ea ipsis in diversis articulis contraria est, si tamen à Iudice etiam talis articuli decisio petita fuit: Spe- & tamen est consuetudo tribunali-um.

## §. II.

*An in causa pluribus communi unus tantum appellare possit sine ceteris?*

Fieri hoc posse, ita ut hujus in causa appellationis victoria, etiam aliis pro- fit, si communi jure juventur, & idem negotium, eademque defensionis causa existat, ex *o. Vna 72. h. t.* patet, si tamen correi fuerint, in eadem causa, & per eandem sententiam condemnati, neque unus illorum sententiam primæ instantiæ expresse vel tacite approbaverit, cui loci appellatio nihil prodesset, cum sponte suâ ei renuntiaverit, aut tacite sententia in casu appellationis contra unum ex correis lata, semper alteri cor- reo nocet quoad condemnationem, pro- ut sumitur ex *o. Significasti 5. de adulter.* cum alteri non debeat auferri necessaria defensio, neque præjudicium generari ex condemnatione alterius.



## §. III.

*De aliis nonnullis in specie de quibus dubium esse poterat, an appellare possint?*

Dubitari potest primò, utrum illi qui juravit paritum se mandatum Ecclesiæ, possit non obstante hoc jure- mento à sententia & præcepto, quod injustè gravari putat, appellare? *re. quæ- sic, prout sumitur ex c. Ad hoc 21. de iur.* quia juramentum generaliter præsumitur explicari debet, juxta limites juris & p- stitiæ, neque extendendum ad obli- gationem iniustam, & iniuste gravatam & hinc quamvis juraverit aliquis iudicium se sententiâ Iudicis, qualitercumque illa fuerit, adhuc tamen, si per senten- tiam iniquè opprimatur, appellare po- test, eò quòd verba hæc generaliter non extendant se ad sententiam iniquè p- vantem. Si tamen in tali casu frivolè- tum sine justa causa & solius subrepti gratiâ appelletur, nulla est appellatio, prout etiam patet ex *o. quæstioni 2. de iur.* quod Capitulum ne priori contradicatur in hunc sensum accipi debet.

Dubitari potest secundò, an licitè ap- pellet Reus, si contra Procuratorem Actoris excipiat in iudicio, quòd manda- tum, vel si excipiat, quod mandatum coram alio Iudice prius jam convenerit fuerit ex delegatione Papæ, cujus præ- riores litteræ nullam mentionem faciunt, & in neutro casu audiat. *re. affirmat- vè, quòd in utroque casu licet appellare, prout statutum habetur in c. Significavit 48. h. t.* cum utrobique in- justum ipsi gravamen imponatur.

Dubitari potest tertio, an licitè appel-

let Reus, conventus in iudicio actione reali, si petat rem in Libello petitam declarari seu obsignari, & non audiatur. 2. quod licet appellet, cum etiam hic iniuste à Iudice gravetur, qui negat illi quod à jure petendum conceditur. c. 2. de Libell. oblat.

Dubitari potest Quartò, utrum Tutor, an mater tutorum filiorum, si nomine pupilli aut pupillorum inviti conveniantur in iudicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo inchoandis, licet possint appellare? Respondetur ex c. ex parte 67. h. e. quod licet appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litiis conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen lis aliqua cum Tutore, pupilli nomine, tempore tutelae cepta fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela, proseguere, nisi omnis administratio in Curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

§. IV.

De iis, quibus non est permissum appellare.

Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt se nolle venire, in poenam scilicet veræ contumaciæ, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se litem expressè vel tacitè approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimæ appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent; ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt. c. Constitutus 23.

& c. Anst. 42. h. t. Quarto appellare non possunt, qui propria voce, ac sponte in iudicio confessi fuerunt, & clarè ac plenè probatione convicti, quia talis appellatio præsumitur interposita subterfugii tantum causâ &c. si verò tantum confessus aliquis fuit in iudicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, & nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem Iudicis à quo impediret, sed tantum devolutivum, vi cuius inhibere potest executionem Iudex ad quem; juxta c. Romana 3. §. Si autem b. t. in 6.

SECTIO III.

De sententiis, vel actibus, à quibus appellari potest, vel non potest.

§. I.

A quibus sententiis & in quibus causis sit licitum appellare?

IN genere loquendo appellari potest à quacunque sententia valida, nisi expressè in jure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quæ nemini facile negari debet. Spectato tamen jure civili non nisi à sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litem prorogationem, quæ de hoc jure, nisi intra triennium expediantur, expirant) nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivæ, vel post eam non speretur definitiva.

Ccc 3 fini-

finalis. De jure Canonico autem appellare licet ab omni sententia interlocutoria & quovis gravamine tam ante quam post sententiam definitivam, uti patet *ex c. super eo 12. h. t.* cum cursu temporis non exspirat litis excepta instantia, *Tridentinum tamen sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 22. de reformat.* videtur juris civilis observationem urgere, dum statuit, non licere appellare ab ordinariis locorum ante sententiam definitivam ratione gravaminis per interlocutoriam impositi, nisi interlocutoria talis esset, à qua etiam de jure civili appellari potest, servetur consuetudo & praxis cujusvis tribunalis.

Potest autem appellari, vi utriusque juris, non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, ut patet *ex L. Et in majoribus 20. junctâ Glossâ V. negotiis Cod. h. t. can. Liceat. 20. causa. 2. q. 6. & c. eum sit 5. h. t. §. Præterea.* & ex ratione gravaminis amovendi (ex communi tamen Romani Imperii consuetudine in criminalibus, præcipue capitalibus, non admittitur appellatio, ut dictum, ne multum differantur criminum puniendo executiones, per frivolas appellationes, contra probationes luce meridianâ clariiores) & quidem admittitur appellatio non tantum in causis gravioribus, sed in minoribus etiam, imò levibus ac minimis causis, prout statuitur in *c. De appellationibus 11. h. t.* ad removendam quamcunque injustitiam, & quodcunque gravamen, quod in modica etiam causa contingere potest, & quia appellationis remedium ordinarium remedium est, quæ ordinaria remedia etiam in modicis rebus conceduntur, quamvis speciali

statuto loci alicujus decerni possit, nec minima re admittatur appellatio, ad procedendum, sumptibus in temerariis quocunque appellationibus, & ne nimium multiplicentur lites, prout nec in Curia Romana appellatio admittitur pro forma, quæ non excedit 10 ducatos & quovis ab omnibus etiam extrajudicialibus gravaminibus appellari potest, etiam honoris & inferendis, in judicio tamen appellari non potest, nisi à gravamine inflictio, aut gravaminis inferendi comminatione injustè à Jure: prout docet *Glossa in Clement. sent. 3. V. appellatione, h. t.*

## §. II.

*In quibus causis appellare non liceat, & in specie de appellations à correctione Prælati seu Superioris regularis vel secularis?*

**N**on admittitur appellatio à legibus correctione Prælati seu Superioris quæ fit regularis disciplinæ causa, *nostro 3. h. t.* remedium enim appellationis, non ad iniquitatis defensionem sed ad præsidium innocentie institutum est. *c. Cum speciali 61. §. porro h. t.* quæ causam nec secularibus Clericis appellare conceditur contra disciplinam clericalem, prout statuitur in *c. Reprehensibilis 26. h. t.* & hinc in *Concil. Trident. sess. 13. c. 1. de reformat.* prohibetur appellatio in causis visitationis & correctionis, & in *c. 1. de reformat. sess. 22.* statuitur, quæ appellatio executionem, quæ ad correctionem pertinet, suspendat, quæ tamen intelligi debent, casu quo Prælati aut superior, live secularis ille sit, sive regularis

gularis, modum in corrigendo non excedat, conceditur enim in *c. Irrefragabili* 13. de offic. Iud. ordinar. contra tales, modum notabiliter in correctione excedentes, aut formam præscriptam non observantes appellatio, ita ut talem appellationem nec privilegia concessa impedire possint, quia tunc Prælati seu Superior potestate suâ abutitur; quæ tamen ipsa appellatio, sicuti ordinariè non impedit aut suspendit executionem, sed tantum effectum devolutivum parit, ita etiam excessus ille, ob quem fuit facta appellatio, non tantum exprimi debet in Libello appellationis, sed etiam probari debet, cum non præsumatur.

§. III.

De appellatione ab excommunicatione, interdicto & suspensione.

Potest quidem à sententia excommunicationis & interdicti appellari, neutra tamen censura per appellationem, quæ latam excommunicationis aut Interdicti sententiam subsequitur, suspenditur, prout sumitur *exc. Adhac* 37. junct. *Gloss. V. interdictum, h. t.* sed parit tantum effectum devolutivum, quod idem etiam dicendum est de suspensione ab officio Divino, & à suspensione ab ingressu Ecclesiæ *juxta c. h. cui. 20. de senten. excommuni. in 6.* cum enim censura secum trahat executionem sententiæ, quo magis scilicet timeatur, & ne per appellationes tales vilescat auctoritas Ecclesiæ, & censura contemnatur, consequenter non habebit effectum suspensivum postposita appellatio, sed tantum devolutivum, ut Judex ad quem examinare pos-

sit, utrum justè lata sit, & absolvere ab ea, si videatur, aut remittere pro absolutione ad excommunicatorem v. g. quin imo non obstante appellatione tali non impeditur Iudex, qui excommunicavit v. g. aliquem, quominus talem excommunicatum esse, denuntiet publicè, prout statutum habetur in *c. Pastoralis* 53. §. *Verum. h. t.* vix tamen hodie fieri hoc posse videtur post *Concil. Constant. Extravag. Ad evitanda*, ubi de vitandis & non vitandis excommunicatis statuitur. Certius est, cum ea, quæ à communi jure exorbitant, extendenda non sint, *in cit. autem c. Is cui* illius tantum suspensionis, per postpositam appellationem, executionem non impedire dicitur, quæ fit ab officis Divinis aut ingressu in Ecclesiam, consequenter de aliis suspensionibus, ab ingressu v. g. in reialicujus possessionem, à percipiendis fructibus beneficii &c. intelligi hoc non debet; & probabiliter etiam intelligi hoc non debet de suspensione, quæ fit ob delictum merè præteritum, & non tam medicina contumaciæ, quam pœna delicti est.

§. IV.

Utrum appellari possit in causis seu factis Notoriis?

Respondetur, in talibus causis non admitti appellationem, quæ effectum habeat suspensivum, *c. Pervenit. 13. & c. Consultui* 14. *h. t.* cum appellationes contra talia notoria sint frivolæ, interim tamen non tantum effectus devolutivus huic tali appellanti conceditur, sed à declaratione etiam notorii admittitur etiam appellatio suspensiva, cum Judex in declaratione notorii errare possit. Potest au-

autem variis modis dici notorium aliquid. Primò per facti evidentiam, quod nullâ tergiversatione celari potest. *c. Cum olim. 24. de V. S.* Secundò per Confessionem Rei in iudicio. *c. Romana 3. §. Si autem. h. t. in 6.* Tertid per sententiam condemnatoriam, si ab illa appellatum non sit. *c. fin. de cohabit. Cleric. & Glossa hic V. confessione.* Quartò per testes idoneos, si nihil illis oppositum sit, si quidem ex probationibus in iudicio factis exurgit notorium, postquam in causa conclusum & probationibus renuntiatum fuit, *juxta Glossam. in c. significaverunt. 35. V. liquere de testibus.*

## §. V.

An & quare ratione appellari possit, vel non, contra electionem & confirmationem Prælatis?

Contra Prælatum electum, & à legitimo superiore jam confirmatum non admittitur appellatio aut exceptio ad executionem illius & possessionis immisionem impediendam, nisi rationabilis causa allegetur. Licet accusatio contra eum & denuntiatio admittatur. *c. Constitutus 46. h. t. nisi excipiatur contra Electores aut Confirmatorem, quòd eligendi aut confirmandi potestatem non habuerint, & hoc in continenti probari possit, aut contra electum excipiatur, quòd crimen commiserit, cui infamia iuncta sit, aut quòd commiserit crimen falsi in confirmatione obtinenda &c.* Sicut enim in his casibus admittitur exceptio, ut consuevit bono Ecclesiæ, ita in aliis casibus non admittitur ob præsumptionem, quam pro

se habet post electionem & confirmationem, & ob præsumptionem, quod malitiosè alii velint illum impedire.

## §. VI.

De aliis nonnullis casibus, in quibus appellatio non admittitur.

Primò contra jus aut juris extensionem, non admittitur appellatio. *consuluit. 29. h. t.* quia jus neminem justè gravat, nisi causa aliqua rationabiliter allegetur, & probetur, propter quod in speciali tali casu jus commune non habeat.

Secundò ob hanc ipsam causam non admittitur appellatio à Religiosis facta contra constitutiones suas regulares. *Quia nos 32. h. t.* Tertid non admittitur appellatio à pœna per legem definitam à sententia Iudicis ad hanc pœnam condemnantis *juxta cit. c. Quia nos. in deatur talis conqueri potius de Legum equitate, quàm judicantis. Quamvis mera executione appellari non potest. Novit. 43. h. t. nisi modum, licet præscriptam, & limites positos excedat in alio enim casu non censetur generalis executor, qui nullam executionem, sed nudum ministerium habet, sed Iudex potius executionem mandans. Quintò qui juramentum contulit ad causam decidendam, non potest à sententia Iudicis appellare, quia non potest illi, cui juramentum delatum est, si ex causa rationabili noluit illud adimplere, & propterea condemnatus est. *Deciditur in L. generaliter. 12. §. 1. autem. Cod. de Re. credi. junct. Glossa. Detulit.* Cùm enim ille, qui juramentum*

tum derulit, sponte hanc viam ad causam decidendam elegerit, consequenter merito illi negatur appellatio, quæ tamen alteri, jurate iusta de causa recusanti, non negatur. Sexto appellari non potest de jure civili contra sententiã in iudicio possessorio latam, quia non affert magnum & perpetuum præjudicium, cum talis in petitorio omne gravamen amovere possit, vel si non possit, conceditur ipsi etiam à sententiã in possessorio lata appellatio, velut à gravamine aliter irreparabili. De jure Canonico autem, ubi etiam de minimis conceditur appellatio, etiam à sententiã in possessorio lata appellari potest, uti sumitur ex c. Ad sedem 15. de restitut. sponsal. & ex c. significaverunt 36. de Testib. & ex Clement. Vnic. de sequest. possess. Septimo admitti non debet appellatio manifestè frivola, quæ scilicet sine legitima causa interponitur. c. Cùm appellationibus 5. h. t. neque excusatur subditus, quò minus teneatur obedire superiori suo ob frivolum talem appellationem interpositam, sed potius puniendus est, prout sumitur ex c. Cùm parati 19. h. t. &c.

## §. VII.

De Causis commissis adjectã clausulã: appellatione remotã.

Ex c. Pastoralis 53. h. t. habetur, quòd per hujusmodi clausulam non tantum prohibeatur, & revocetur appellatio frivola, sed etiam iusta ac legitima, si ea non sit specialiter in jure expressè & concessa; si enim tantum frivolarum appellationes per hanc clausulam removerentur, nihil vel certè parùm illa clausula operaretur, cum eã etiam non apposita frivola

appellationes de jure communi admittendæ non sint. Clausula autem quælibet in rescripto apposita, quamvis strictam interpretationem mereatur, si à jure communi exorbitet, ita tamen intelligi debet, ut operetur aliquid. Dicitur autem appellatio in jure expressè concessa, & indulta, in omni illo casu, in quo à jure factum aliquod pro gravamine agnoscitur, contra quam appellationem nihil operatur clausula adjecta rescripto v. g. Appellatione remotã. Cujus rei exempla habentur in c. Postremo 36. h. t. & c. ex parte 47. eodem. Et plura referuntur à Glossa in cit. c. Pastoralis. V. Expressè. uti etiam in c. significanti. 34. c. Rodolphus 35. c. significavit. 36. de rescript. c. Exhibita. 19. de judiciis. c. Dilecti. 8. c. Dilecti 18. c. significaverunt. 11. de Except. &c. & quamvis cum citata Glossa aliqui ex c. Pe debitus 59. h. t. probari posse putent, quòd hodie deferri semper debeat appellationi ex causa iusta & probabili interpositæ, quamvis cum clausula, appellatione remotã: concessum rescriptum v. g. sit; contraria tamen sententiã uti communior, ita verior est, tum quòd c. Pe debitus, non loquatur de Iudice dato cum clausula, appellatione remotã: tum quòd verisimile non sit, jus c. Pastoralis. pro bono communi ad lites devitandas loquentis, tam liberaliter & facilè correctum fuisse; & hinc meliùs dicitur effectum esse clausulæ illius, Appellatione remotã: quòd tollat omnem appellationem legitimam, quæ non reperitur expressè à jure concessa, non quidem quoad effectum devolutivum, sed quoad effectum suspensivum (nisi Iudex, ad quem ex speciali causa inferiori Iudici, à

D d d quo

quo appellatum fuit, executionem inhibeat) ita ut Iudex à quo, non deferens tali appellationi, quantumvis probabili, non puniatur, nec attentata post talem appellationem revocentur à Iudice ad quem per viam nullitatis, licet possint revocari per viam querelæ.

Potest autem causas cum hac clausula, *appellatione remotâ*: committere solus Pontifex, tanquam Iudex supremus in causis Ecclesiasticis: in causis verò profanis & inter Laicos solus Imperator, aut alius Iudex, qui superiorem in temporibus non agnoscit. *c. super questionem. 27. §. si verò. de offic. Iud. deleg.* (neque enim inferior jus superioris, ad quem appellari potest, tollere potest) & clausula hæc in rescripto, plures articulos continente, qui à se invicem dependent, si ab uno eorum removeatur appellatio, etiam in aliis ejusdem rescripti articulis non concessa censetur, cum ad causam principalem, quæ committitur *appellatione remotâ*: omnes eodem modo se habeant. *c. secundò requiris. 41. h. t.* quòd si verò plura diversa negotia seu causæ non connexæ in eodem rescripto ponantur, attendi debet, ubi ponatur clausula *appellatione remotâ*, ita ut ad omnia antecedentia extendi quidem possit, non autem ad consequentia, odiosæ enim restrictiones, ad sequentia se ordinariè non extendunt, nisi connexa sint hæc consequentia cum accedentibus. *6. Inquisitioni. 71. b. t.*

## S E C T I O IV.

## De Iudicibus, à quibus, &amp; ad quos appellari potest, vel non potest.

## §. I.

A quibus Iudicibus appellari potest, vel non?

**A**ppellari regulariter potest per se à omni Iudice, qui sententiam tulit, & ordinarius, sive delegatus fuerit, etiam si communi consensu partium Iudicis talis impetratus fuerit, prout sumitur ex *Causam 14. de sentent. & re judic. non pro-* rogaverint in se Iudicis alius nec in jurisdictionem, cum in tali casu voluerit quidem approbasse sententiam, non tamen sententiam, contra quam nullum defensionis remedium sibi licet invenerunt. Intelligi tamen hoc debet de appellatione à quovis Iudice per se cità dictum, quòd appellari scilicet quolibet possit, nisi nullum ille superiorem, in ordine ad sibi competentem jurisdictionem, habeat. *Can. Ipsi sumus. & Can. Cuncta 17. causa. 9. q. 3. C. de* sententia enim appellationis est, ut sit Superiorem, ergo ubi non est Superiorem locum habere non potest appellatio, nisi Iudex non sit, sed merus Executor tantum, ut Arbitrator compromissarius, respectu horum nullam jurisdictionem habentium nulla possit fieri jurisdictionis suspensio, sicuti tamen fieri solet per appellationem propriè dictam.



§. II.

Coram quo Iudice sit appellandum.

Appellatio ut valida sit, & effectum, tam suspensivum quam devolutivum habeat, ordinarè interponi debet coram Iudice, qui sententiam tulit, & à quo appellatur, *Glossa in c. Appellatio. 9. F. Iudici. h. t. in 6.* ita ut si plures Iudices simul sententiam protulerunt, coram omnibus simul congregatis appellatio fieri debeat; vel si non omnes, aut nullus Iudex à quo haberi possit, coram quo appellatio fieret, tum fieri ea debet coram Iudice ad quem, & Iudici à quo intimari, aut si neque hujus copia haberi possit, coram viris honestis, vel etiam uno honesto, adhibitis testibus, vel coram Notario, qui testibus adhibitis instrumentum hac super re, quod appellatio scilicet fuerit interposita, conficiat. Sufficit etiam nonnunquam, si gravi metu quis impediatur ab appellatione, protestari coram Iudice, vel si coram hoc non possit, coram viris honestis, quod ob gravamen tale appellare vellet, nisi prohiberetur, expressis etiam causis appellationis, (saltem in genere) tum enim Perinde haberi debet, ac si appellasset, si intra decem dies à lata sententia protestationem talem interposuit, prout dicitur, *in c. Iustus. 73. h. t.*

§. III.

Ad quem Iudicem sit appellandum?

Gradatim regulariter fieri debet appellatio ad proximum semper & immediatum illius, à quo appellatur, su-

petiorem, non autem, omisso medio, ad remotum & mediatum. *c. Dilecti 66. h. t.* ne Iudex intermedius contemptus esse videatur cum confusione jurisdictionum; non est tamen de jure Canonico nulla appellatio, quæ omisso medio seu proximo, ad mediatum & remotum superiorem facta est, sed valet, si pars adversa nihil opponat, quia ut sic censetur pars nihil opponens consentire in mediatum, & hujus in se jurisdictionem prorogare. Imo sunt plures casus, in quibus ob speciales rationes licitè ad mediatum superiorem, omisso proximo, appellari possit. Sic primò licet de jure Canonico à quolibet inferiore Iudice in causis Ecclesiasticis immediatè appellare ad Summum Pontificem, ob prerogativam Sedis Apostolicæ, cum omnibus inferioribus Iudicibus concurrentem, nisi appelletur à subdelegato delegati Pontificii, cum enim in tali casu delegatus Papæ repræsentet Papam, consequenter ab hujus subdelegato non immediatè ad Papam, sed ad delegatum Papæ subdelegantem, si jurisdictionem aliquam subdelegando sibi reservarit, appellari debet. Secundò ad Legatum Papæ immediatè appellari potest, omnis intermedii Iudicibus, Episcopis, Archiepiscopis &c. *argu. c. 2. de offic. Legat.* Tertio si consuetudo præscripta habeat ad remotum immediatè appellari. *c. Romana 3. h. t. in 6.* Quarto si proximus deneger palam justitiam, aut aliàs sit inhabilis, vel si Iudex inferior & medius sponte ad mediatum causam remittat. Quintò si Episcopus litiget cum suo subdito in casu electorum Arbitrorum, à quibus non ad alium, quàm ad Papam sit appellatio &c. & quamvis

In e. referente. 7. de Prabendis ubi Presbyter quidam ab Archidiacono ad Archiepiscopum appellavit, omisso medio, Episcopo scilicet, appellatio fuerit admittenda, fuit tamen hoc factum in casu, ubi Archidiaconus privativè excluso Episcopo jurisdictionem habuit, ita ut ad hunc casum non Episcopus, sed Archiepiscopus immediatus hujus Archidiaconi superior fuerit; prout etiam à generali Episcopi Vicario, non ad Episcopum, cujus unà cum suo Vicario idem tribunal est, sed ad Archiepiscopum appellari debet, & à sententia Iudicis delegati, ad delegantem vel ejus successorem, si aliquid jurisdictionis hic sibi reservavit, appellari debet, prout ex tit. L. 1. De officio Iud. deleg. jam patet.

## §. IV.

Proponuntur alia quadam questiones circa Iudices, ad quos est appellandum.

PRImò queritur, quid juris sit, si uterque litigantium appellet ad diversos Iudices. 2. Teneri quidem, si super eodem negotio pars utraque litigans ad diversos Iudices appellavit, comparere coram Iudice appellationis inferiore immediatè, qui ad superiorem mediatum appellavit, si citerat ab inferiore & suam appellationem allegare. c. Si duobus 7. h. t. (ne ordinariam immediati Iudicis potestatem contemnere videatur) non posse tamen hunc contra eum, qui ad Superiorem appellavit, procedere, quia jurisdictione Superioris absorbet jurisdictionem inferioris. Sunt tamen, qui putent, capituli illius decisionem tantum procedere in illo casu, in quo licet, omisso medio

inferiore, ad Iudicem superiorem mediatum appellare.

Secundò queritur, an à Iudice seculari appellari possit ad Ecclesiasticum, saltem ad Papam? 3. Valere appellationem à Iudice seculari, ad Papam, si ille sit subiectus temporali jurisdictioni Ecclesie Romanæ, non autem valere (spectato jure communi, quod sit de consuetudine) si jurisdictione temporali Papæ talis Iudex à quo, subiectus non sit. *juxta cit. c. Si duobus 8. de appellationibus.* Neque enim in causis Laicorum temporalibus jurisdictionem habet Papa, sed temporalis hujus jurisdictioni illi subiectus fiat. Quòd si autem non valeat in talibus casibus appellatio ad Papam, minus valebit ad alium Iudicem Ecclesiasticum.

Tertiò queritur, ad quem appellandum sit à collatione beneficii facta communiter ab Episcopo & Capitulo. Non posse quidem fieri appellationem ad Episcopum, si collationi talis committitur, ut Episcopus, posse tamen ad eum appellationem, si collatione interveniebat ut Canonicus, *juxta collatione 11. in 6. h. t.* Illud quidem non potest, ne ad eundem, qui appellavit, appellatio debeat esse ad Superiorem. Hoc fieri potest, cum ut sic non debeat Episcopus actum hunc gessisse, sed Capitulum, ergo ad Superiorem fit appellatio, si in tali casu à Capitulo ad Episcopum appelletur. Presumitur autem, quod Episcopus tali collatione intervenisse, nisi probari possit contrarium sit contrarium.

SECTIO V.

De forma, seu modo appellandi, & quoties appellare liceat?

§. I.

Quomodo interponenda sit appellatio?

Appellatio fit vel statim, Iudice adhuc pro tribunali sedente, aut saltem ad extuncione actus nondum divertente, vel ex intervallo. Si statim fiat, sufficit eam facere viva voce, dicendo v. g. appello, & hoc in actis per Notarium scribatur; si fiat ex intervallo, in scriptis per libellum appellatorium fieri debet, in quo exprimitur nomen illius, qui appellat, nomen Iudicis, contra quem, & contra cuius sententiam appellatur, & nomen Iudicis, ad quem appellatur (quamvis absolute necessarium non sit, ut vel nomen Iudicis a quo, vel nomen Iudicis ad quem exprimitur) neque tamen requiritur, ut, si in scripto appellatur, legatur hæc appellatio coram Iudice. c. Appellatio 9. h. t. in 6. cum ad intentionem juris sufficiat, potest etiam eam appellationem Iudici a quo fuisse, ne appellans postmodum variare possit. Potest autem appellari, sive voce, sive scripto fiat appellatio, non tantum per verba expressa: appello, provoco. &c. sed etiam per æquipolentia. c. Ad audientiam 34. h. t. (ubi enim certa verborum forma non requiritur, sufficit suam intentionem expressisse) quin ipso etiam facto, suscipiendo v. g. iter Romam ad causam alicujus

decisionem, appellari potest, ut patet ex c. Diligenti 52. h. t. & ex c. Cum olim 7. De dolo, & contumaci. modò servantur ea, quæ in appellatione verbis expressa servari debent, & si extrajudicialis sit appellatio per susceptum iter, ad eum Superiorem fiat, qui per viam querelæ adiri potest citra omnem appellationem. Neque tamen valet appellatio generalis, facta super omni causa, quæ contra appellantem posset aliquando moveri. c. Inter cetera 2. h. t. (cum talis non appellet à gravamine aliquo, cum nullum, nec alicujus comminatio illud urgeat) neque valet generaliter facta appellatio ab omni gravamine, quod sibi inferri posset, nisi fiat super certa causa ab eo, qui in uno v. g. articulo à Iudice à quo gravatur, cui licet per viam appellationis totam causam hanc ad superiorem Iudicem deferre. c. Consultus 18. h. t.

§. II.

De forma, seu modo appellandi à sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali.

Talis appellatio, ut valeat, debet fieri in scriptis, & expressa causâ appellationis (nisi ex arduis una sit, quæ Sedi Apostolicæ specialiter reservatur) ut constat ex c. Cordi. 1. h. t. in 6. & c. Ut indebitus 59. h. t. ad minuendas litium molestias, ut ait Pontifex, & debent Apostoli, sive litteræ dimissoriales à Iudice à quo peti & dari, quibus instruat superior Iudex, quare appellationi sit delatum, vel non. Neque potest in iudicio talis appellationis alias postmodum causas proseguere, quàm nominatim in libello appellationis expressas. Clement. Appellanti. Ddd 3

*lanti, s. h. t. c. Cum causam 62. eodem.*  
 (neque enim à solo gravamine fit hæc appellatio, sed à gravamine propter hanc causam, quam appellans coram Iudice appellationis proponere de novo vult, aut ex actis de novo producendis processus primi Iudicis justificari vel impugnari, sed tantum ex illis, quæ coram ipso acta vel exhibita fuerunt, juxta *cit. Clement. cum ex aliis actis videri non possit, utrum Iudex à quo injustè gravaverit*) qui etiam docere debet taliter ab interlocutoria aut gravamine appellans, quod legitimam exceptionem opposuerit, auditus tamen non fuerit, & ideò appellaverit, prout sumitur ex *c. Dilecto 63. h. t.* ut fiat scilicet appellatio non à gravamine præcisè futuro, si non admittatur exceptio, sed à gravamine præsentè, in casu scilicet non admittæ exceptionis.

## §. III.

*De forma, seu modo appellandi à sententia definitiva.*

Quòd vivà voce fieri possit talis appellatio, si statim Iudice adhuc tribunali sedente fiat, per verbum *Appello* vel æquivalens, aut factum ipsum; & si fiat ex intervallo, intra decem tamen dies ad appellandum concessos, quòd fieri debeat in scripto, nisi causæ tantum levioris momenti essent; & quòd in tali appellatione necessarium non sit, causam appellandi in specie allegare, sed sufficiat in genere dicere, gravatum se esse, & ideò appellare, &c. ex dictis jam patet: ex quibus etiam habetur, quòd in aliquibus, & in quibus casibus causa in specie exprimi debeat, ut valida sit appellatio; & etiam si appellans in aliis etiam casibus

causam aliquam appellandi exprimi possit tamen in hac à definitiva sententia appellatione coram Iudice appellante alias etiam causas prosequi, & novè allegare, non probata probare, dummodo sint ad causæ decisionem servientia, uti habetur etiam in *c. Ioannes, 10. de fid. instrum.* Neque enim appellans à sententia definitiva idcirco per appellat, quia injustum gravamine illatum fuit, & consequenter ut hoc pateat, ex antiquis tantum probationibus & actis procedere potest, licet appellatione ab interlocutoria differat, sed quòd contra ipsum pronuntiatum & speret meliorem sententiam obtinere apud Iudicem appellationis, quæ etiam possunt de appellatione interlocutoria, quæ vim definitivæ habeat.

## §. IV.

*Quoties licitum sit appellari.*

IN eadem causa à sententia definitiva bis à qualibet litigantiam parte appellari potest, (ne per multas scilicet appellationes lites fiant perpetuæ) nisi per diversis articulis in eadem causa appellaretur aliquis, quo in casu (ut de jure Canonico) sæpius appellari potest super diversis gravaminibus. *Quoties 16. causa. 2. q. 6.* Tertius autem cuius interest, appellare potest, etiam à partibus bis jam appellatum fuerit, cum defensionis hoc remedium ne ipsi non possit: ab interlocutoria sententia, si appellavit pars litigans, postmodum desertà appellatione ad Iudicem à quo redeat, absque alia contumacia, si iterum hic per interlocutoriam sententiam gravare videatur, iterum appellari potest.

pellari potest. *c. Directe. 39. b. c.* Neque enim hic talis ob contumaciam aliquam, quam nullam posuit, vel quæ per reditum ad Iudicem à quo, purgata fuit, ab iterata appellatione. si iterum graveur, repelli debet.

## SECTIO VI.

### De temporibus, seu fatalibus appellationum.

Fatalia dicuntur illa tempora, quibus elapsis facultas, quæ appellandi causa concessa est, intercidit & extinguitur: Talia fatalia sunt quatuor. Primum est tempus interponendæ appellationis. Secundum est tempus petendi & concedendi Apostolos. Tertium est, tempus presentandi, seu offerendi prædictos Apostolos Iudici ad quem. Quartum est tempus ad prosequendam & finiendam appellationem concessum. De primo fit

#### §. I.

#### De tempore interponendæ appellationis?

De jure antiquo appellandum fuerat in causa propria intra biduum; in causa aliena, seu procuratorio nomine intra triduum, à prolacione sententiæ numerandum: hodie tamen jure novo intra decem dies à die gravaminis illati etiam extrajudicialis, vel latæ sententiæ etiam interlocutoriæ utiliter appellabitur, utroque jure tempus hoc approbante, ad cavendam scilicet litem prolongationem, & litigantium damna *authen. hodie. junct. Gloss. Cod. h. t. c. Quod ad consultationem 15. de sentent. & re judi-*

*cat. c. Significaverunt 36. junct. Gloss. V. intra 10. dies de testibus.* Est autem hoc tempus decendii, intra quod fieri debet appellatio, in principio utile, in progressu tamen continuum, ita ut non incipiat currere, nisi à tempore scientiæ, postquam scil. pars litigans scit sententiam contra se latam esse; vel postquam scivit, si extrajudicialis sit appellatio, gravamen in sui præjudicium illatum esse aut inferri: si verò cæpit currere, continuum erit usque ad idem punctum temporis, post 10. dies elapsos, à quo incepit, solemnes etiam ferias includendo, jure scil. tempus interponendæ appellationis sic disponente, ut appellans deliberandi quidem tempus habeat, quod tamen nec nimis breve sit, nec nimis longum, cum etiam feriatis diebus appellare liceat, ut supra dictum.

#### §. II.

#### De Apostolis, & tempore illos presentandi ac presentandi.

Apostoli hoc loco dicuntur literæ dimissoriæ, quas Judex, à quo fuit appellatum, transmittit ad Iudicem, ad quem est appellatum, quibus testetur Titium v.g. à sententiâ à se lata appellasse. Sunt autem varæ Apostolorum seu litterarum dimissoriarum species: alii dicuntur dimissorii ad Iudicem ad quem directi, quibus appellatum ad illum, & admissa appellatio ei significatur; alii dicuntur reverentiales Apostoli, quibus significat Judex à quo, admissam à se appellationem, non ex justitiæ causa, sed ob reverentiam illius, ad quem appellatum est; alii dicuntur refutatorii, quibus significat Judex à quo, Iudici ad quem, quod à se admissa non fuerit appellatio, exprimendo

do causam etiam hujus non admissionis; alii dicuntur conventionales, quos pars adversa admittens appellationem dat parti appellanti, admittens appellationem sive in iudicio, quamvis Judex eam non admittat, sive extra iudicium; alii denique vocantur testimoniales, quando scilicet absente Judice coram Notario fit appellatio, ita ut de tali appellatione per hos Apostolos testetur Notarius &c.

Tenetur autem Judex à quo appellanti, & Apostolos petenti tradere, adeo quidem, ut si cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitus non tradat, sed in causa procedat, non valeat processus, & retractandus sit per Judicem appellationis, prout sumitur ex *c. Ut super 4. h. t. 6.* præsimitur enim malo animo processisse Judex à quo, si Apostolos negavit, nisi ultro appellationi renunciasset, qui appellavit. Peti autem debent & possunt ab appellante (sive à definitiva, sive ab interlocutoria, sive judicialiter, sive extra judicialiter appellatum fuerit) & exhiberi à Judice, à quo hi Apostoli hodie inter 30. dies (quos inter à die sententiæ latae & scientiæ habitæ connumerandos, si non petiverit appellans, censetur appellationi factæ renunciare, quæ est præsumptio juris & de jure) & peti debent ac dari expensis appellantis, prout communis praxis habet; & quidem instanter & sæpius (instanter & instantissime) vel uno contextu, vel interposito etiam actu extraneo successivè peti debent, uti habetur in *Clement. Quamvis 2. h. t. junctâ Glossâ V. uno contextu*, ita tamen ut ad accipiendos petitos Apostolos Judex à quo certum tempus præfigere possit, cum illius

sit ex causa prorogate aut archate tempus à jure concessum, prout habetur *2. ff. de re judic.* & si appellans illo tempore non compareat, censetur appellationi suæ renunciâsse.

Præsentari verò debent hi Apostoli Judici ad quem (nisi certum tempus ad introducendam suam appellationem præfixerit Judex à quo, quod facere potest intra tempus sex mensium, à tempore interpositæ appellationis numerandum) (jure scilicet temporis hoc spatium ad introducendam appellationem præscribitur aut Judicis arbitrio, ut certum tempus præfigat, relinquente, tum ut appellanti deliberandi relinquatur liberum, utrum interpositam appellationem persequi velit, tum ut ne nimium procedantur lites) ita ut si intra hoc à quo concessum, vel à Judice cum licentia partis præfixum tempus suos Apostolos præsentaverit, & appellationem non introduxerit apud Judicem ad quem deserta censetur appellatio.

### §. III.

*Intra quod tempus appellans qui debeat appellationem, & finire?*

**A**nus appellanti datur ad prosecutionem, & finiendam appellationem, & ex justa causa, necessaria & evidens biennium, ita tamen ut Judicium quo ordinario quàm delegato liceat brevius etiam tempus præfigere ad prosecutionem appellationem suam. *c. Causa 33. h. t.* quod tempus non observaverit appellans ad prosecutionem suam appellationem, censetur appellationem suam deseruisse, sive iudicium

lis illa appellatio fuerit extrajudicialis. ut patet ex *Clement. Sicut 3. h. t.* cum sit eadem utrobique ratio, ne nimium scilicet ad prosequendam appellationem tempus prolongetur, & ne nimium etiam restringatur. Interim tamen, impedito agere, & appellationem prosequi, nec annale nec biennale tempus currit, cum hoc tempus ad prosequendam appellationem remedium sui juris defendendi, utile appellanti esse debeat.

§. IV.

*An Iudex à quo possit statuere terminum ad finiendam appellationem: Et quoniam præterea possint terminum præfixi ad prosequendam appellationem, vel iure statutum abbreviare: Et an etiam possint eandem prorogare?*

Iudex à quo non potest terminum statuere intra quæ causa appellationis finiri debeat, cum non possit legem aut terminum præscribere Superiori, ad quem appellatum fuit, ad expediendam appellationem *c. Ex insinuatione 50. h. t.* & hinc si Iudex à quo terminum præfixit ad expediendam appellationem, aliud non voluisse censeatur, quàm ut intra præfixum ab ipso terminum in tribunali Iudicis, ad quem appellatio insinuetur, & appellans coram eo appellationem suam prosequatur, quod facere posse ex dictis jam patet. Non tamen Iudex ad quem terminum à jure statutum, ad prosequendam appellationem moderari, seu abbreviare potest, sicuti potest à quo, nisi ex nimia dilatione sequeretur Reipublice damnum, aut animæ; cum enim per appellationem interpositam Iudici

à quo præjudicium aliquod generetur, in quantum illius executio suspenditur, nullum autem præjudicium patiat Iudex ad quem, consequenter plus conceditur Iudici à quo, ad statuendam appellationis introductionem & prosecutionem, ne nimium illi præjudicetur quàm Iudici ad quem: & quamvis ipsi etiam appellanti terminum sibi statuere concedatur, *in c. Personas. 4. h. t.* ad prosequendam appellationem, restringi tamen hunc posse, si nimis prolixus sit à Iudice à quo, ex eodem capitulo patet. Prorogare autem extendere terminum à jure statutum ad prosequendam & finiendam appellationem, neque Iudex alteruter potest, neque pars appellans, prout expressè deciditur *in c. Oblata. 57. h. t.* & *Gloss. Magna etiam in Notat. advertit*, ne lites nimium protrahantur.

§. V.

*Quoniam præterea jure Canonico statuta sunt circa prosecutionem appellationis?*

PRIMÒ statuitur *in c. Sapè 44. h. t.* quòd, si appellatio à Iudice à quo recepta sit, & à parte adversa approbata, in termino tamen, à Iudice à quo ad prosequendam appellationem præfixo, non compareat appellans, aut appellatus, contra absentem tanquam contumacem procedi possit, eò quòd terminus præfixus vim peremptorij termini habeat, qui maliciosè neglectus contumacem constituit.

Secundò statuitur *in c. Oblata 57. h. t.* quòd si à Iudice à quo, vel ab appellante terminus præfixus sit, ad prosequendam appella-

appellationem, neutra pars prævenire possit talem terminum, impetrando litteras, ut causa appellationis committatur, nisi fiat mentio de ipso termino, cum merito malitiosè videatur terminum præfixum tacuisse, ad supplantandam alteram partem litigantem; valent tamen tales litteræ, si impetratæ sint intra tempus à jure (non tamen ab homine) ad appellationem prosequendam præfixum, etiam si nulla termini à jure positi fiat mentio, cum per se Judici, qui committit hanc causam appellationis, terminus à jure præfixus notus esse censetur, modò, si appellatus tales litteras impetrare contendat, non nimium præveniat tempus à jure concessum, infavorem præsertim appellantis, sed circa finem aut anni, aut biennij talis impetratio fiat.

Tertio statuitur *in c. Nicolao 64. h. t.* quòd contumax habeatur illa pars, quæ post interpositam appellationem ad Curiam Romanam, aut Superiorem à Judice receptam, ac à parte approbatam, per Procuratorem quidem Romæ aut apud Superiorem appellationis intra tempus competens comparet, absque eo tamen, ut possit causam appellationis agere, sed præcisè ad impetrandam delegationem & partis alterius impetrationi contradicendum, quia in tali casu procurator videtur tantum missus ad prolongandam litem, & frustra vexandam alteram partem, cui etiam in expensas condemnandum voluit taliter mittentem procuratorem.

Quarto statuitur *in c. Interposita. 70. §. Eidem quo que h. t.* contumacem illum non fore, qui post appellationem quidem, quæ tamen nec à Judice re-

cepta est, nec à parte approbata, per procuratorem dicto modo ad impetrandum litteras commissionis, & contradicendum impetrationi alterius partis, quamvis pars adversa sit parata per se, vel per legitimè submissum procuratorem apud Iudicem appellationis officium suscipere, cum in tali casu sibi putare debeat appellatus v. g. quòd satis sibi caverit appellationem appellando, ut ad Curiam Iudicis appellationis, causa appellationis devolveretur.

## §. VI.

*An, & ob quas Causas seu impedi-  
menta admittatur quis etiam post annum  
vel post biennium ad prosequendam  
appellationem?*

Quòd impedito legitimè intra tempus biennij tempus appellationis interpositam prosequi tempus hoc excutrat, sed post annum aut biennium elapsum ad appellationis prosecutionem hic admittatur, ex dictis patet, & *in c. Ex ratione 8. h. t.* ne præjudicium perve tali generetur, & à jure suo impetrandò, sine sua culpa excidat. In quibus verò sex communiter impedimenta referuntur, ob quæ appellans etiam post elapsum anni aut biennij tempus ad appellandum debet ad prosequendam appellationem. Primum est impotentia, propter infirmitatem v. g. pauper tatem &c. prosequi non possit appellationem intra tempus conveniens. Secundum est, si appellatus, vel contra quem appellatum est, impediatur per se vel per alium appellatorem à prosecutione appellationis per suas cavillationes, v. g. fructuarias dilationes petendo, prosequendum &c. Tercium est, si utriusque



§. I.

Quando, & quomodo procedere possit ac debeat Iudex à quo sive sit ordinarius, sive delegatus?

Regulariter quidem Iudex à quo debet deferre cuiuslibet appellationi, & gesta coram se intra 30. dies cum Apostolis ad Iudicem appellationis transmittere (propter reverentiam scilicet superioris puniendus vi utriusque juris, si interposita ex iusta causa appellationi non detulerit) nisi de jure prohibita sit appellatio, aut in rescripto remota: quod si tamen per fraudem aut malitiam interposita fuisset appellatio, non debet illi deferre, aut illam admittere Iudex à quo, sed potest in causa procedere, c. Suggestum 15. h. t. Neque enim quod à jure concessum est ad innocentiam vel jus suum detorquendum est; si vero super interlocutoria sententia seu questione incidente appellatum fuerit, à cujus cognitione causae principalis decisio dependet, non potest Iudex à quo super causa principali prius pronuntiare, quam questio interlocutoria in iudicio appellationis decisa fuerit, ut habetur in c. Super eo 10. h. t. ad cavendum scilicet praedictum: speciale illud est de jure Canonico, quod ille, qui residere tenetur in suo beneficio, & tamen huic suae obligationi non satisfacit, si ab Episcopo ad residentiam faciendam monitus ad Pontificem appellet, possit per Episcopum cogi ad residendum, vel ut intra  
Ecc 2 certum

SECTIO VII.

De officio utriusque Iudicis, à quo, & ad quem appellatur.

certum tempus præfixum ab Episcopo, ad Curiam Romanam appellationis prosequendæ causâ accedat, uti habetur in *c. Peruenit. 28. h. t.* ita ut Episcopus præbendâ eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam justam causam habeat, eum de facili tantum appellatione in tali casu sit præsumptio.

## §. II.

*Quod sit officium Iudicis ad quem, & quomodo procedere possit ac debeat?*

**I**udex, ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, & si viderit, illam legitimè interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse justam, sive malè judicatum, bene appellatum esse. Si verò viderit, illam esse illegitimè factam, debet illam pronuntiare injustam, sive bene judicatum, malè appellatum esse. Et quamvis per se vel per alium non suspectum de causa & justitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad Iudicem, à quo est appellatum, remittere (nisi pars, quæ appellavit, consentiat. *c. Accepta. 35. h. t.* quia præsumptio est, & periculum, ne iterum gravet) etiam casu quo Iudex, à quo fuit appellatum, in locum Iudicis, ad quem fuit appellatum, modò autem defuncti aut depositi successit, (ob rationem etiam in hoc casu urgentem) sed debet in tali casu appellatione examinanda alteri personæ non suspectæ delegari, quæ vel remitter appellentem ad Iudicem à quo, si advertat malè appellatum, & in expensas temerarium hunc appellentem condemnabit (nisi Iu-

dex à quo appellationi detulerit. *c. De appellationibus 5. h. t. in 6.*) vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam à Iudice à quo malè latam cassabit, et pro parte reformabit, & sic de casu principali pronuntiabit, modò de iuris causæ per probationes comprobata ei constet, etiam si in hac secunda appellationis instantia lis coram Iudice appellationis contestata non fuerit, vel conventa in hac secunda instantia facta contumaciter absens. *c. Per tuos 98. h. t.* cum litis contestatio in prima instantia facta nec per appellationem tollatur, nec extendere etiam se possit ad causam appellationis. Vide plura de his apud Auctor. Method.

## §. III.

*Cui incumbat, seu imponi debeat Iudice onus probandi in causa appellationis?*

**A**d initium processus appellationis appellatus coram Iudice ad quem appellatus probare debet tria; appellasse se Iudicem, & quidem legitimo tempore à sententia vel gravamine illato; & Secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet quæ si probata fuerit, iusta declaratio appellatio; & Tertio denique debet appellans producere appellationem, ipsam sententiam v. g. à qua appellatus. Procurator autem, si per hunc appellationem prosequatur appellans, debet insuper probare mandatum, & curatorem derato. His probatis procedi v. g. iuribus, & quælibet pars excipiens suam exceptionem probare debet, ac modò causæ principalis, qui eadem probare debuit in prima instantia directè Iudice

à quo, sive ex prioribus actis probationes has depromendo, sive novas producendo. Quod si verò pars litigans exceptionem suam opponens, ob quam respondere non teneretur, à Iudice audita non est, & propterea appellavit coram Iudice appellationis, probare non tantum debet, appellasse se ex causa probabili; sed debet insuper probare causam illam veram esse, vel saltem probare debebit, allegasse se coram Iudice à quo causam, quare respondere non teneretur, & voluisse etiam in continenti hanc probare, auditum tamen non fuisse, (quia in illo casu pugnat contra appellantem præsumptio, quod vexandi tantum adversarii causam noluerit respondere, & appellaverit, quæ in altero casu nihil probat) nisi extrajudicialiter tantum appellet, aut ablit Iudex, aut offeratur eo tempore probatio, quo non teneretur eam recipere Iudex, cum in talibus casibus vel non adlit Iudex, cui ex officio iucumbat recipere probationes, vel non offeratur probatio tempore conveniente.

§. IV.

An, & quando Iudex appellationis procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel inhibere Iudici à quo, ne procedat in causa, & ne sententiam exequatur?

Iudex, ad quem fuit appellatum, non debet in causa interpositæ appellationis ab interlocutoria citare partes ante sententiam definitivam; neque causam alteri committere potest, nisi causa probabilis, seu legitima interpositæ appellationis sit expressa, prout statuitur in *e. Romana. 3. §. Cum autem h. t. in 6. cum*

in omni appellatione ab interlocutoria exprimi & probati debeat causa interpositæ appellationis, ut dictum: neque inhibere potest Iudici à quo, ne in causa illa procedat, aut sententiam exequatur, si contra appellationem ob defectum aliquem excipiatur, aut appellatus opponat, causam appellationis veram non esse, priusquam de legitima appellatione constet, quia prius constare debet de potestate jurisdictionis, quam ad illius exercitium procedatur. *Glossa in cit. c. Romana. §. Si verò V. Non presumant;* Quod ipsum etiam dici debet, si post sententiam quidem definitivam appellatum fuit, in casu tamen de jure prohibito; vel si de hoc dubitatur, ante omnia de causæ veritate Iudex appellationis cognoscere debet, ne frivole appellationi deferatur; admittenda tamen est appellatio etiam in casu à jure prohibito, si justa seu rationabilis causa in appellatione fuerit expressa, ut quod metu tormentorum v. g. vel per errorem confessus fuerit in prima instantia appellans. Plura ad hoc appellationis negotium spectantia ex relato *cap. Romana & Glossa illius cap. colligi* possunt.

§. V.

An, si litigans coram suo Iudice non appellavit ab interlocutoria, postea verò appellavit à definitiva, Iudex appellationis possit revocare interlocutoriam, & gravamen per illam illatum reparare?

DE hac questione agitur in *c. Licet 12. h. t. in 6. quod consule, quia casus rarus est.*

## S E C T I O VIII.

## De effectu appellationis, &amp; attentatis post illam.

Effectus appellationis duplex est, suspensivus, & devolutivus. De priore fit

## §. I.

## De effectu appellationis suspensivo.

Per appellationem à sententia definitiva ordinariè suspenditur Iudicis à quo iurisdicatio, circa causam illam, in qua est appellatum, ita ut pendente appellatione eam executioni mandare non possit; non autem per appellationem ab interlocutoria, Iudicis à quo iurisdicatio suspenditur, quin possit in causa procedere, donec inhibeat à Iudice, ad quem appellatum fuit, ut ex dictis patet. & ex c. Venientes 19. de iurejurand. & ex c. Dilectis 55. h. r. Quamvis circa alias causas diversas à causa appellationis respondere teneatur, qui appellavit, coram Iudice à quo, si coram eo conveniatur, recusari tamen potest hic in talibus causis, tanquam Iudex suspectus, ut habetur in c. Proposuit 24. h. r. Sicut enim per appellationem non eximitur à iurisdictione sui ordinarii Iudicis, nisi in ea tantum causa, circa quam appellavit, ita in aliis causis ob periculum gravaminis recusare eum potest (saltem de iure Canonico) contra quem appellavit, & sic merito minus benevolam timere potest, Allegare tamen, & probare hic recusans debet coram arbitris communi consensu electis, non tantum, quod contra talem

Iudicem in alia causa jam appellavit, sed quod ab eo injustè fuerit gerens

## §. II.

Quibus casibus per appellationem non suspendatur iurisdicatio Iudicis à quo appellatum, sed eà adhuc pendente nihilominus procedere possit?

Primo potest Iudex à quo, non obstante appellatione, & hac pendente procedere in causa, circumstantiè attentati, faciendo omnia illa, ad faciliorem finem seu exitum causæ appellationis conducunt, modo se immisceat causæ appellationis, de qua v.g. cognoscendo, &c. prout fuerit per c. Cum teneamur 17. h. r. quia per appellationem iurisdicatio Iudicis à quo appellatum, non est extincta, sed suspensa tantum, quæ causam, in qua est appellatum, ita ut iustitia illius cognoscere non possit, adeoque cum dicitur pendente appellatione nihil immutandum, aut immutandum, &c. intelligi tantum debet prohiberi, ne quidquam immutetur, non ut vetur in præjudicium appellationis, autem, quod prohibeantur ea, quæ in favorem appellationis, & faciliorem exitum à Iudice à quo fiunt.

Secundò potest Iudex ordinarius, qui appellavit, non obstante appellatione, & hac pendente, punire ob circumstantiæ fortasse post appellationem peractam, aut ante eam commisit c. Preterea 22. h. r. quia eos, ut ait Pontifex, appellatio in sua iniquitate tueri non debet, quominus per Canonicam censure puniri debeant.

Tertiò potest Iudex à quo, sive ordinarius, sive delegatus ille sit, à causa

terlocutoria, aut gravamine ante definitivam appellavit aliquis, si citet ad terminum certum appellentem ad audientiam revocationem gravaminis, si quidem eam faciendam existimet, quod fieri posse ex dictis jam patet, & ille qui appellavit in termino præfixo non compareat, Iudex tamen gravamen re ipsa, & actu revocet, liberè in causa, non obstante appellatione factâ, procedere contra absentem etiam tanquam contra contumacem *c. Si à Iudice 10. h. r. in 6.* quia cessante gravamine, propter quod appellatum, & per revocationem jam cessat, cessat etiam effectus, appellatio scilicet, & consequenter totam suam jurisdictionem habet Iudex à quo.

Quartò potest Iudex à quo eum, quem ob contumaciam v. g. suam excommunicavit, non obstante, quòd ad Papam, aut alium Superiorem hic appellaverit, ab excommunicatione absolvere, (si absolutionem hanc ab ipso petat, qui appellavit, & sufficientem cautionem adversæ parti præstet) quamvis adversarius contradicat, & appellet etiam *c. Quà fronte 25. h. r.* tum quòd per hanc absolutionem non impeditur cursus appellationis, tum quòd sic animæ excommunicati consulatur, & simul per cautionem præstitam parti adversæ. Vide plura de his apud *Ant. Mech.*

§. III.

An, & quando suspendatur per appellationem censura sub conditione laia?

Si appellet, qui sub conditione censurâ affectus est, ante eventum conditionis, suspenditur in tali casu per appellationem interpositam sententia censuræ,

ita ut non contrahatur, etiam si conditio non servetur. *c. Præterea 40. h. r.* neque enim censuram quis incurrere potest, nisi obligetur ad id, quod sub censura illi præceptum est exequendum, sed post appellationem legitimè interpositam non obligatur quis præcepto aut sententiâ Iudicis, ergo etiam si conditio non servetur, cuius nulla est post appellationem legitimam obligatio, non incurrit censuram: potest autem à sententia censuræ sub conditione laie appellari, etiam post elapsos decem dies, dummodo conditio adhuc pendens sit, & nondum impleta; quia qui talia sub conditione censuræ incurrere præcipit, continuò censetur gravare, dum conditio eveniat, ergo continuò contra talem appellari potest: incurrit tamen hic censuram, cui sub conditione censuræ incurrere sub conditione præceptum, aut prohibitum est aliquid, etiam si pendente conditione mutaverit forum & domicilium, si non appellaverit *juxta Gloss. in cit. c. Præterea*, etsi censura talis feratur per modum sententiæ judicialis ob factum præteritum, & commissum tempore prioris domicilii v. g. subjectionis, &c. quia per talem sententiâ à Iudice prioris domicilii in ea causa præventus fuit.

§. IV.

De effectu appellationis devolutive.

Quòd per appellationem causa principalis, super qua appellatum est, devolvatur ad Iudicem ad quem, ita ut hic Iudex non tantum de justitia appellationis cognoscere possit, sed causam etiam principalem judicare, & decidere possit, ac debeat ex *c. Ut debitis 59. h. r.*

*h. t. patet junct. Gloss. V. Alioq.* Et consequenter appellatio etiam parit effectum devolutivum, & in illis sæpè casibus, ubi suspensivus effectus locum non habet, ut ex dictis patet. Imò non tantum causa principalis per appellationem devolvitur ad Iudicem ad quem, sed etiam ejus accessoria, sive quæ illam consequuntur *c. Dilectis 55. h. t.* ob causam scilicet connexionem.

## §. V.

*De attentatis, appellatione pendente, eorumque revocatione.*

Quòd pendente appellatione nihil sit innovandum, supra dictum, ita ut tales innovationes attentatorum nomine veniant, quæ revocanda in hoc §. dicuntur; & hinc si appellatum in casibus licitis fuit à sententia definitiva, debet Iudex appellationis ante omnia revocare non tantum quæ post appellationem innovata fuerunt, sed ea etiam omnia, quæ medio tempore inter sententiam latam, & appellationem interpositam innovata fuerunt, modò debito tempore appellatum postmodum fuerit (quia hæc talia in casu appellationis à Iudice à quo facta, censentur facta à Iudice incompetente *Glossa in c. Venientes 19. V. Possessionem ipsam de jurejurand.*) nisi casus esset, in quo non admittitur appellatio de jure, aut probari non posset, definitivè pronuntiatum fuisse, fuisse appellatum, & aliquid fuisse innovatum. Si tamen ab interlocutoria tantum appellatum sit, non potest post eam appellationem attentata revocare Iudex appellationis, nisi priùs constiterit, causam appellandi, & legitimam, veram esse, nisi

Canonice à Iudice ad quem imbutum fuerit Iudici à quo, ne procedat ultra *c. Non solum §. Illa verò h. t. in 6.* quæ appellacione ab interlocutoria non penditur jurisdictio Iudicis à quo, causa rationabilis appellandi allegata probata fuerit, & sic appellatio revocata, quod in appellatione à definitiva locum non habet.

## §. VI.

*Alia quedam observanda circa revocationem attentatorum post appellationem proponuntur.*

Primò habet locum hoc revocandi attentata non tantum appellatione judiciali, sed etiam appellatione (sive à Iudice à quo, sive à Iudice in quo) innovatum aliquid fuerit, & appellationis iusta, ac probabilis fuerit parte citatà causa revocandi attentata, si cognita fuerit, quia non tantum appellatione pendente nihil innovandum, sed etiam appellatione etiam lite pendente *c. 1. & 2. ut de appellatione & c.* & hinc cum appellatione judicialis sit saltem provocatio ad Iudicem *c. Cùm sit §. Si vero h. t.* etiam hinc revocanda inducit, si tamen talia attentata post appellationem extrajudicialia facta sint in gravamen seu in preiudicium appellationis *c. Cùm nobis 19. de collatione beneficii post legitimam appellationem facta ab eo, à quo appellatum est, est ipso jure nulla, & revocanda debet tanquam facta post & contra appellationem c. Dilecti 1. h. t.*

Secundò, sicuti licet appellatum ante Iudicem ante litem contestatam innovatum aliquid, vel si sine iusta causa ab ipso ex consensu partium ad Iudicem assignatum præveniat, ita etiam

quæ post appellationem attentata sunt, revocari debent *c. significante 69. h. t.* Non censetur tamen pars litigans, quæ cetero est in possessione rei litigiosæ, innovare aliquid, si re tali, dum appellatio & lis pender, utatur, neque usus talis inter attentata numerandus est.

§. VII.

*Qua ratione attentata, seu innovata post appellationem extrajudicialem sint revocanda? & de privilegiis, quæ competunt remedio revocandi attentata?*

Qui appellavit extra iudicium ex verisimilibus & probabilibus causis, ne in possessione sua molesteretur aut turbetur, potest postea spoliatus non tantum ut in pristinum statum restituatur, agere, sed per viam etiam attentati non tantum contra spoliantem, sed quemvis alium, si ve malæ sive bonæ fidei possessorem agere potest, ut fructus etiam percepti possint interpositam appellationem eidem restituantur. *c. Bona §. 1. h. t.* qui enim rem spoliatam detinet, in præiudicium spoliati appellantis detinet, & consequenter non tantum ratione huius, sed etiam ratione fructuum conveniri potest per viam attentati. Et hinc apparet, quod remedium revocandi attentata, pendente appellatione, longè uberius & pinguius sit, quam interdictum unde vi, seu recuperanda possessio, cum illi plura privilegia competant, quæ huic non conceduntur: primò enim per viam attentati agi potest contra bonæ etiam fidei possessorem, si post appellationem

*Irving. Compend.*

res, ratione cuius appellatum fuerat, in eum delata fuit, ut ex modò dictis patet. Secundò non debet servari ordo iudiciarius, si remedium revocandi attentata intentatur, sed sufficit imploratio Iudicis officio de plano & summarie procedere. Tertio competit etiam hoc attentati remedium pro rebus mobilibus. Quarto non potest opponi agenti per viam attentatorum notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis, vel excommunicationis. (saltem in appellatione judiciali, quæ se potius habet ut defensio, licita etiam excommunicatis, quam ut actio illis prohibita.) Quintò non requiritur allegare & probare titulum, si per viam attentati revocandi in causa beneficii agatur &c. quæ tamen vel requiruntur, vel saltem non requiruntur in interdicto unde vi.

§. VIII.

*Quis Index cognoscere possit de revocatione attentatorum post appellationem?*

Cognoscere, num attentata post appellationem sint revocanda, ad Iudicem appellationis pertinet, qui enim de principali cognoscit, de appellatione scilicet cognoscit etiam de accessoriis, seu connexis, uti sunt attentatorum revocatio. *c. Sollicitudinem §. 4. h. t.*

¶(o)¶

F f f

SECTIO

## S E C T I O IX.

## De cessatione, aut revocatione, renuntiatione, &amp; defensione appellationis,

## §. I.

An & quomodo per revocationem Judicis, & per renuntiationem cesset, & tollatur appellatio?

**S**I Judex (sive ordinarius ille sit, sive delegatus) qui partem litigantem gravavit, & à quo ratione hujus gravaminis appellatum fuit, postea ab hujusmodi gravamine desistat, illudque revocet, cessat appellatio. *c. Cum cessante 60. h. t.* quia cessante causâ (finali scilicet & principali & quidem adæquate, non autem tantum incapulsi) gravamine scilicet cessat etiam effectus, appellatio scilicet prout supra etiam insinuatam, & de interlocutoria intelligendum, quam revocare potest Judex à quo, intra decendum ad petitionem partis adversæ, vel ex officio etiam postea, (cùm respectu Judicis non transeat in rem judicatam) etiam in vitis partibus & pendente appellatione. Cessat etiam & tollitur appellatio per renuntiationem, sive hæc expressa sit, sive tacita, expressè scilicet desistendo ab appellatione: quod potest facere, qui appellavit, si res adhuc sit integra, tacitè verò actum contrarium appellatione exercendo intra debitum tempus non preceado Apostolos, aut non introducendo appellationem &c. quibus in casibus sumptus, si quos fecit, ra-

tionem appellationis talis adversarius, retinere debet, qui appellavit, & de appellatione jam cessat.

## §. II.

Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? & an prosecutio appellationis deserta impediat, ne sententia transeat in rem judicatam?

**I**N causis quibusdam, electionum, & aut alijs beneficialibus, in quibus superior non tantum ad instantiam procedere potest, sed ex officio procedere potest, proinde Judex appellationis proprio iure & ex officio procedere, de meritis causæ & impedimentis oppositis cognoscere & super quibus appellatum fuit, etiam appellans appellationem deseruit, & que enim talis desertio officio Judicis præjudicat, cùm sint diversi modi procedendi, per viam actionis ad instantiam partis, & ex officio Judicis, in quamvis unus tollatur, non tollitur tamen alter modus, prout sumitur ex *Constitutis 45. h. t.*

Neque prosecutio appellationis impedit, quominus sententia, à qua appellatum fuit, transeat in rem judicatam, ac si ab ea appellatum non fuisset, si deserta fuit talis appellatio, juxta *Constitutum Si appellatio. 6. h. t.* Sicut enim per lapsum temporis ad appellandum constitutum, si intra illud tempus non appellatur, ratificatur prior sententia & in rem judicatam transit, ita manet illi sententiæ suum robur, etiam si intra tempus debitum ab ea appellatum fuerit, si tamen postea deserta fuit appellatio.



quamvis iterum suæ desertionis pœnitens eam prosequatur, ac si ab ea appellatum non fuisset, & consequenter transit in rem iudicatam, ita ut sententia à Judice ad quem lata, contra priorem sententiam à Judice à quo latam, nulla sit, velut lata à non legitimo Judice & contra rem iudicatam.

SECTIO X.

De Recusationibus & relationibus.

§. I.

Quid sit recusatio, & quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?

Recusatio est Judicis & jurisdictionis R ipsius, proposita causâ suspicionis declinatio, eo quod Judex v. g. ex causa verosimili suspectus sit, ut scilicet majore sinceritate lites procedant. *can. Quod suspectus, causa 3. q. 3. c. Causam. 17. & c. Suspicionis. 39. de Officio deleg.* Convenit in aliquibus cum appellatione, in multis tamen etiam differt, Conveniunt inter se primò, quod sicuti per appellationem receditur ab audientia Judicis, ejusque Jurisdictio suspenditur, ita etiam fiat per recusationem; quâ pendente non potest actum aliquem judicialem Judex recusatus exercere. Secundo equiparantur, quoad modum proponendi, ut sicut sine justa & rationabili causâ expressâ non admittitur appellatio ab interlocutoria, ita nec recusatio Judicis. Tertiò in eo etiam conveniunt, quod sicuti regulares possunt

appellare à correctione superioris, si modus in ea excedatur, ita possit etiam superior recusari, si valde suspectus esset, & ob passionem excessurus putaretur in corrigendo, dummodo manifesta sit causa suspicionis. Differt autem appellatio à recusatione. Primò quod recusari possit Judex, etiam si non graver, cum tamen appellari non possit à Judice nisi graver. Secundo quod recusari aliquis non possit Judicem, in quem consensit, cum tamen ab hoc appellare possit. Tertiò quod à Vicario generali aut officiali non possit appellari ad Episcopum, possit tamen coram hoc Vicarius v. g. recusari. Quarto quod in eadem causa non liceat tertia appellatio, possit autem post secundam appellationem Judex recusari &c.

§. II.

Quando, & quomodo fieri possit, recusatio Judicis, & quis sit illius effectus?

PROponi debet recusatio Judicis intra 20. dies post libellum ante contestationem litis; quia recusatio hæc ad dilatorias exceptiones pertinet, ante litem contestationem proponendas, ne agendo aut respondendo coram illo videatur eum ut Judicem approbare. Sicuti autem 20. dies de utroque jure conceduntur parti ad deliberandum, utrum litigare velit, ita hi etiam subservient ad recusandum Judicem, nisi notorium sit eum carere jurisdictione; vel judicium subeat de excommunicatione v. g. actoris, cum protestatione, ut salva sibi maneat recusationis exceptio, vel post

Eff 2

licem

litem primùm contestatam suspectus Iudex fiat aut innotescat. &c.

Posito tamen quòd contra Iudicem recusans exceptionem recusationis opponat, & causam suspicionis allegaverit, quæ nec manifestè frivola nec notoria sit, cogi possunt partes litigantes, ut in arbitros (ultra unum diatam à Diocesi non distantes) compromittant, qui de causa suspicionis cognoscant; quæ si probata non fuerit (ut vulgè Ius Canonicum) intra terminum præfixum, poterit Iudex non obstante frivola recusatione, in causa procedere, sicuti enim ratio naturalis dicitur, quòd suspecti Iudices ad causam decidendam admitti non debeant, sed vel alij à se delegando, si ordinarij sint, committant, vel ad delegantem aut superiorem remittant, ita nec debet illis partis recusatio obesse, si nulla sit recusandi causa, *c. Secundò requisitis 41. §. tertio postulat h. t. junctà Gloss. V. allegare & c. Cum speciale 61. eodem.* Effectus autem recusationis est, quòd suspendat Iudicis recusati jurisdictionem, ita ut pendente cognitione de justitia recusationis, in causa procedere non possit, non quidem quasi ipso jure, quæ post recusationem gesta sunt, nulla sint (nisi notoria sit recusationis causa, aut arbitri jam electi essent, qui de justitia recusationis cognoscant, quia ut sic res jam non est integra, & jam est jurisdictione translata in arbitros) sed quòd interponi possit appellatio, si post recusationem judicare velit recusatus *c. super questionum 27. de offic. deleg.* quia ut sic gavage incipit.

## §. III.

Quid sit relatio, quomodo & quando fieri debeat, & quis sit illius effectus?

**R**elatio est consultatio Iudicis de jure dubitantis in causa ad Principem missa; eò ipsò enim, quòd in casu nonnunquam nullum jus expressum videtur, vel certè dubium illud sit, & ad varias patiatur interpretum opiniones, merito nonnunquam ad Principem videtur relatio, ut ab eo intelligatur, quid in judicando fieri velit; & quamvis allata definitione videatur inferri potest relationem non esse, nisi causa tota ad Principem remissa sit, ita ut hujusmodi sit, sententiam ferre, in usu tamen hodierno non esse, in negotijs privatorum strictam ad eò relationem, sateatur potest.

Quod si tamen ad Principem referendam causam, vel articulum cause pro Iudex, debet relationem, vel copiam illius priùs partibus exhibere, ut habeat consultationi tali aut relationi adhibetur. *c. Intimasti 68. h. t. & partibus.* vera non sit in omnibus relatio, de qua occasio eam corrigendi vel appellandi videatur, non post sed ante sententiam definitivam exceptis causis criminibus in quibus priùs fertur sententia; ut de iure Princeps judicet, an eam corrigi oporteat, prout ex civilibus recitat probatur.

Effectus denique relationis est, quòd per eam suspendatur jurisdictione Iudicis

inferioris, quæ statim quiescit & suspenditur, postquam causam referendam decrevit, ita ut eâ pendente nihil innovati aut attentati debeat, nec de causæ meritis inquiri, donec superior consultus aut ejus successor responsum dederit, & irrita futura sint, quæ post eam de-

cretam innovata seu attentata fuerint, si tamen partes in eam consenserint, & quarum etiam consensu causam reassumere potest, si nondum ea relata Principi fuerit. *argu. c. Bona 4. de postulac. Prælat.*

## TITULVS XXIX.

## DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

**P**eregrinantium nomine in hoc titulo intelliguntur illi, qui Romam proficiscuntur ad limina Apostolorum visitanda; vel ex alia causa necessaria & probabili ad sedem Apostolicam, & quamvis Rubrica tantum de Clericis loquatur, fatentur tamen AA. etiam de Laicis taliter Romam proficiscentibus seu peregrinantibus intelligenda esse, quæ hic statuuntur. Statuitur autem *inc. unico h. 1.* ut qui proficiscuntur ad sedem Apostolicam, ipsi cum suis rebus sint sub ejusdem sedis protectione con-

stituti, & quod si quid durante itinere illis ablatum sit, restituendum illis sit, (quia contra peregrinantes ad sedem Apostolicam nihil est innovandum, & talis peregrinatio ad sedem Apostolicam habet vim appellationis) sive deinde ipso facto extra iudicium illis auferantur aliqua, sive in iudicio per sententiam Iudicis, cujus processus ipso jure nullus est, nisi accedens ad Papam citatione fuerit præventus, antequam iter institueret, *juxta c. penult. de foro com. penente.*

## TITULVS XXX.

## DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI.

## §. I.

*Quid & quomplex sit confirmatio?*

**C**onfirmatio, prout hoc titulo de ea sermo est, communiter sic de-

finitur, quod Juris prius habitus seu quæsitus sit per Legitimum Superiorem facta corroboratio. Potest autem duplici modo fieri actus alicujus confirmatio. Primò tanquam necessaria per se ad complendum actum prius inchoatum,

Fff 3

&amp;c

& non perfectum quoad substantiam suam, qualis est confirmatio electi ad praelaturam v. g. quæ si valida sit electio, valida etiam ipsa erit, & electio tribuat jus perfectum; nulla tamen erit, si nulla sit electio. Secundò fieri potest confirmatio, non tanquam per se ad substantiam actus necessaria, sed ut ei majus robur, firmitas & auctoritas tribuatur, quæ fieri debet per legitimum superiorem (quæ enim à paribus in jurisdictione fiunt, non tam confirmationes, quàm approbationes dici debent, cum par in parem non habeat imperium, & quæ ex voluntate talis superioris actum de se invalidum, validum faciunt, innovationes rectius dicuntur, quàm confirmationes) & duplex esse dicitur. Prima dicitur simplex confirmatio, & in forma communi ordinaria facta, quando scilicet Princeps v. g. non plenè sed confusè tantùm de negotio instructus, actum v. g. ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo ante fuit: altera fit cum perfecta talis negotij & omnium circumstantiarum cognitione, quam sapius etiam indicat Clausula *Ex certa scientia*. Differunt autem inter se hæc duæ confirmationum species, quòd illa, quæ fit in forma communi, nullum novum jus tribuat aut valorem actui cui accedit, sed relinquit invalidum, si invalidus per se est: altera verò species, quæ fit in forma speciali & cum plena causæ cognitione, novum jus tribuit actui, & hunc, si invalidus ex se est, defectum supplendo, validum facit, si tamen à confirmante defectus ille suppleri possit. Uti habetur in *c. 1. de transact. junct. Gloss. fin.*

## §. II.

*Ex quibus signis cognosci possit, quæ confirmatio alicujus dispositionis vel actus facta sit in forma communi vel speciali?*

**O**mnis confirmatio censetur facta in forma communi & ordinaria, nisi aliquod signum apponatur, ex quo constet eam in forma speciali factam, & specialia non præsumantur sed exprimentur. Sunt autem signa, quæ præbent in forma speciali factam confirmationem, varia.

Primò, si in rescripto confirmatorio totus tenor dispositionis vel actus, qui confirmatur, specificè inferitur; in tali enim casu constat ex certa scientia expressum fuisse Principem v. g. & sufficienter rei, quam confirmat, notitiam habuisse ac voluisse omnem defectum, & fortasse in dispositione illa repetiti defectum supplere, prout colligitur etiam ex *c. venerabilis s. h. 2.*

Secundò quando expressè adhibetur clausula *Ex certa scientia* (rectè etiam talis casu, licet tenor dispositionis in rescripto confirmationis expressus non sit, si ponitur sufficiens rei notitia per se Principem v. g. fuisse) vel alia æquipollens *ex plenitudine potestatis v. g. aut non obstante quacunque lege aut consuetudine contrarium &c.* aut ex alijs verbis certæ confirmatorij talis certa scientia intelligatur, quibus in casibus censetur Princeps defectum, si quem fortasse præmissa dispositio, supplere; nisi defectus ille non esset juris positivi, qui à confirmante suppleri potest; aut sit ex illis aliquis

quem Princeps non solet supplere, aut supplere non potest sine præjudicio alterius, quo in casu præjudicii etiam mentio fieri deberet, non obstare scilicet hoc, si validum actum reddere deberet confirmatio.

## §. III.

Quando Confirmatio sit utilis seu valida, vel inutilis sive invalida?

Confirmatio super religiosa, de qua lis jam est mota in judicio non impedit iudicem inferiorem, quod minus causam cognoscere & decidere possit, si in rescripto confirmatorio nulla lis mota facta est mentio: impeditur tamen iudex à cognitione & decisione causæ talis, si in rescripto confirmatorio lis mota facta est mentio; sicuti impeditur etiam si prius ante litem motam, dum pacifice rem possidebat, confirmationem impetravit, quamvis nulla lis, quæ tum nondum erat, facta sit mentio, cum in his casibus rescriptum confirmatorium (cæteris paribus) validum & utile sit, non autem in primo casu, ubi rescriptum nullam de lite jam mota mentionem faciens subreptitium esse ex dictis jam patet, & consequenter invalidum etiam & inutile.

Non possunt quidem contra confirmationes, quæ à sede Apostolica ex certa scientia emanarunt, judicare & cognoscere Judices inferiores, nisi speciale mandatum à Papa accipiant, aut manifestum sit, quod tales literæ confirmatorie sint subreptitiae; possunt tamen contra confirmationes in forma communi factas, de re in iudicium adducta saltè per accidens cognoscere & judicare, cum per tales confirmationes

non fiat nova concessio sed fundentur in valore rei confirmatæ: unde si rem confirmatam taliter validam non esse censeat iudex, judicat etiam confirmationem illam invalidam & inutilem esse, quia accessorium sequitur naturam principalis juxta *reg. 42. in 6.* Nihil valent & inutiles sunt literæ, quæ latam sententiam confirmant, si post interpositam à parte contraria appellationem impetratæ sunt ab appellato, nullâ factâ mentione appellationis post sententiam interpositæ: valent tamen & utiles sunt, donec de iniuritate sententiæ plenius fuerit cognitum, si impetratæ sint post appellationem quidem à parte contraria interpositam, ita tamen ut hujus appellationis mentionem fecerint, quamvis in posteribus fortasse literis ab appellante impetratis clausula generalis: *non obstantibus prioribus literis si veritati aut iustitiae præjudicent:* adjecta fuerit, nisi in posterioribus his literis specialis mentio fiat de literis confirmatoriis prius impetratis; quo in casu priores confirmatorie omnino non valent *c. Bona 3. h. t.* tum quod literæ confirmatorie in primo casu impetratæ sint subreptitiae, cum nullam de appellatione interposita mentionem faciant; tum quod per clausulam tantum generalem non revocentur priores literæ in forma communi concessæ, & confirmantes sententiam, *Sicuti iustè lata fuit.*

Confirmationem, quam pro sua persona obtinet à Papa Religiosus pro Prioratu vel alia temporali administratione, confirmanda est, est irrita & nulla, si religiosum se tacuit *c. ad nostram 5. E. o. porreclta 6. h. t.* ne prætereire possint contra

contra suos regulares superiores exemptionem aliquam, & quoddam ab his amoveri non possint: si tamen religiosum se esse expressit, & Papa hoc in suo rescripto asserat, quoddam Religioso huic ex certa scientia administrationem talem ad dies vite confirmet, valida & utilis est confirmatio (sive motu proprio concessa fuerit, sive ad instantiam Religiosi fuerit impetrata) ita ut amoveri ab hac administratione ab inferiore suo Prælato non possit (nisi à Papa specialem licentiam aut mandatum habeat, vel nisi crimen commiserit hic confirmatus, quoddam de jure communi depositionem meretur) cum per talem confirmationem specialem quoad hanc administrationem regularis talis subiciatur Summo Pontifici, quamvis quoad alia suo Prælato subiectus maneat.

Neque valet etiam aut utilis est confirmatio in forma communi concessa, qua confirmantur Laudum contra formam Iuris vel compromissi per arbitros factum, & communi consensu utriusque partis receptum, *c. Examinata 7. h. t.* neque enim tale Laudum contra formam Iuris aut compromissi latum validum est, aut à partibus valorem accipere potest (nisi ut in vim pacti valeat) ergo si in forma communi à Papa tantum confirmatum sit, nulla & inutilis erit talis confirmatio.

Denique nunquam utilis est confirmatio in forma communi facta, si juri alterius præjudicet. *c. sua nobis, 9. h. t.*

quamvis enim Papa per plenitudinem potestatis jus uni quaesitum in materia beneficii præsertim & Ecclesiarum conferre possit & alteri dare per confirmationem, tamen in forma communi concessum hoc non facit, prout patet in regulæ Cancellariæ docent.

## §. IV.

*An innovatio privilegiorum habeat vim Confirmationis, sua utrumque jus tribuat?*

**P**ossunt quidem privilegia, sicut etiam instrumenta, ne præscripta tustatem omnino pereant & corruptur renovari, hæc tamen innovatio ordinariè (nisi fiat ex certa scientia & in forma speciali) nullum novum jus tribuit, sed antiquum, si quod corruptum conservat, & consequenter innovatio majus robur non habet, quam confirmatio in forma communi concessa. *parte 13. de privileg. c. Cum dilectis* Cum talis innovatio tantum fiat ut conservetur privilegium, cuius esset consumpto instrumentum in tuto perditio. Potest tamen etiam, cuius interest privilegium non innovari, contradicendo impedire illius renovationem, ne novis libris detur occasio.